Doubl



LAVALLENSIS SUCCURSALIS

PARS I. (*latine*)

QUÆSTIO LAVALLENSIS–VICTORIÆ

(*pg.* 5.)

PARS II. (*gallice*)

LES JESUITES ET LA SUCCURSALE–LAVAL

A MONTREAL.

(*pg.* 137.)

1883–84.

BIBLIOTHÈQUE
COLLEGE DE L'ASSOMPTION

Réjean
Olivier
5211
Ex-Libris

LE3
L32
L38
fol.

LAVALLENSIS SUCCURSALIS

PARS I.

THESES HISTORICO—POLEMICÆ

Prænotanda	pag. 3.
I. APPELLATIO MONIALIUM ET SCHOLÆ	" 5.
APPENDIX I.	" 24.
II. DECRETA APOSTOLICA	" 26.
APPENDIX II.	" 69.
APPENDIX III.	" 76.
III. PRIMA QUÆSTIONIS ÆQUA SOLUTIO	" 84.
IV. TRIPLEX THESIUM SYNOPTICA TABULA post	" 130.

Errata.			Corrige
Pag.	vers.		
4	8	23 Jun.	29 Jun.
19	6	vuluti	veluti
46	not.	Romæ	Romam
50	14	*post* Quebecensem	V. [E]
53	16	1°	1ª
55	10	Episcopum	Episcoporum
"	29	iudicitur	indicitur
60	31	posset	poterat
64	4	in Ecclesiæ favorem	Ecclesiæ faventes
76	3	Rmus	Rmos
120	17	conjonction	conjunction
In tertia tabula synoptica		questionis	quæstionis

Cetera benevolus lector emendabit.

N. B.

Documenta thesibus **necessaria** (quoad eius fieri potuit), consilio fuere narrationi aut argumentis inserta : longiora, ad finem reiecta ac citata alphabeti literis : reliqua in notis. Numerus literam sequens indicat volumen, proximus documentum, tertius paginam, postremus, si opus sit, versum ; iuxta 18 voluminun **collectionem**, nec integram (" M. C. i. e. Mosaïque Canadienne "), qua hæc scribens usus est ; præter **Excerpta** e publicis ephemeridibus, periodicis &c. religiosas Canadæ res spectantia, quæ hucusque 10 libris in 4° constant.

Quod ad quæstionem attinet, sane implexam :

1° **Triplex** thesium **enunciatio** rem totam complectetur, nonnullis additis **Appendicibus**, ad quæstionem exhauriendam ;

2° Plura, quæ afferri poterant, facta et argumenta, libenter omissa ;

3° In medium allata (quæ satis esse visa sunt) **triplex** pariter in fine (*post pag.* 130.) excipiet, ac perpaucis sub oculos exhibebit, **synoptica** thesium **tabula**, numeris singula revocans in iisdem exposita. Quibus brevitati simul, claritati ac lectoris benevoli labori minuendo satis consuli visum est.

BREVIS EXPOSITIO

CAUSÆ ET APPELLATIONIS

A RMO EPISCOPO MARIANOPOLITANO

AD SANCTAM ROMANAM SEDEM

IN RE NOSOCOMII CATHOLICI

A MONIALIBUS S. JOSEPHI

PER CONTRACTUM COMMISSI CURÆ

MARIANOPOLITANÆ SCHOLÆ MEDICÆ

LEGITIMA POSSESSIONE PERSEVERANTEM

AB ANNO 1850 AD ANNUM 1883

Marianopoli, in Canada inferiori, 1883—1884.

(*Reservatum*)

" Una illa hominibus causa est non parendi, si quid ab iis postuletur, quod cum naturali
" aut divino iure aperte repugnet: omnia enim, in quibus naturæ lex vel Dei voluntas violatur, æque
" nefas est imperare et facere. Si cui igitur usuveniat ut **alterutrum** malle cogatur...respon-
" dendum: **obedire oportet Deo magis quam hominibus**...neque tamen
" est, cur abiecisse obedientiam qui ita se gerant arguantur; etenim si principum voluntas cum Dei
" pugnat **voluntate** et **legibus**, ipsi potestatis suæ modum excedunt, **iustitiam-**
" **que pervertunt**; neque eorum **tunc** valere potest auctoritas, **quæ, ubi iusti-**
" **tia non est, nulla est.** (Encycl. SS. P. LEONIS XIII, 23 Jun. 1881.)

Si quis putaverit, se a proprio Metropolitano gravari, apud primates Diœcesecos, aut penes universalis Apostalicæ Ecclesiæ Papam iudicetur.....

Cap. Si quis, 2. *qu.* 6.

Ad Romanam Ecclesiam (maxime ab oppressis) est appellandum et concurrendum quasi ad Matrem, ut Eius uberibus nutriatur, auctoritate defendatur, a suis oppressionibus relevetur, quia non potest nec debet Mater oblivisci filium suum.

Can. Ad Roman. Cap. 2, *qu.* 1.

Apostolica Sedes hoc habet præcipuum, ut non pigeat revocare, quod a se forte deprehenderit fraude elicitum.

S. Bernard. ep. 180. *ad Innoc. II.*
Confer. Bened. XIV, de *Synod. diœc. L.* 9. *c.* 8. *n.* 2., *etc.*

THESIS I.

PARS I.

Spectato naturæ iure—civili et ecclesiastica auctoritate roborato–necnon moralis theologiæ doctrina tria hæc confirmante:

Nosocomii Marianopolitani **Moniales** et Medicorum **Schola**, coram Supremo ecclesiastico Tribunali, humillime affirmant tuenturque:

Rmi Marianop. Episcopi, in **novæ Lavall. Succursalis** favorem, **præceptum**, datum diebus 19 April. et 7 Maii 1883, **neutram**, ex duabus legitime contrahentibus, partem, pacifice diuque sua iura possidentem, ac proinde etiam præscribentem, **obligare** posse in conscientia.

P. II.

Quoniam vero superioribus, iisque ineluctabilibus, tum iuribus tum præscriptione, nulla alia obiicitur ratio, nisi:

Apostolicorum Decretorum auctoritas imprimis veneranda; omni qua par est mentis animique reverentia hanc suscipientes; iidem contrahentes tuentur—**Schola** quidem; primo, multiplici ex capite Decreti ultimi (27 Feb. 1883.) **interpretationem** esse præposteram—tum, prima Episcopi **instantia** libenter admissa, secunda vero rite explicata—negat omnino duplex ex iis deductum consectarium—nec non civilis Tribunalis ius ei denegatum.

Moniales præterea, iure affirmant—quocumque in casu (sive

Scholæ sive novæ Succursalis, nosocomium ingredientis) **sua iura** sarta tectaque esse debere.

Omnium demum disputatorum

Conclusio

satis clara iustaque, sequens esse videtur:
posse scilicet inveniri **causæ** huius **solutionem** omnia vera iura servantem.

Hinc, cum Supremi Tribunalis bona venia, aliqua, ad exemplum, proponitur in **Appendice I.**

I

Compendium facti.

1. Marianopoli in inferiori Canada extat, a Coloniæ primordiis, claustralium Religiosarum Institutum, cuius finis præcipuus est (præter sui perfectionem) ægrotantium corporum animarumque, in Nosocomio ad Moniales pertinente, curam sibi convenientem sedulamque suscipere. Gallice vocantur " Les Religieuses Hospitalières de St. Joseph de l'Hôtel-Dieu. " Quæ, anno 1850 exeunte, et Rmo tunc temporis Episcopo plene approbante, infirmis Nosocomii *gratis* medendi munus tradiderunt petenti Facultati Medicæ, cuius nomen " L'Ecole de Médecine de Montréal ". Brevitatis causa, illas *Moniales*, hanc *Scholam* vocabimus.

2. Hæc autem, illo ex tempore usque ad præsentem diem, privilegio, *sibi uni* concesso, pacifice, unice, cumque mutua partium contrahentium utilitate et, quod consequens erat, operis incremento animorumque concordia, tum *facto* tum *iure* usa

est. Nam, 33 annorum continentium spatio, eiusmodi facta conventionesque utrinque libere intercessere, quæ *onerosum* hinc inde, temporis lapsu, *contractum* probare videntur aperte, ut infra patebit. Idque eo vel magis quod, quidquid inter contrahentes conventum est, non modo fuit ecclesiastica Auctoritate approbatum, sed etiam civili lege sancitum. Moniales enim et Schola gaudent iure quod vocant *Corporationis.*

3. Horum omnium non sane ignarus Marianopolitanus Antistes, diebus tamen 19 Aprilis et 7 Maii 1883, semel iterumque Moniales iussit, ut scripto et solemniter Scholæ nuntiaret, eius Professores auditoresque *debere*, proximas post vacationes, locum cedere Lavallensis Succursalis Doctoribus eorumque discipulis, quibus *solis*, inquit, Nosocomium exinde patebit. Hoc autem præceptum nihil aliud esse aiebat, nisi ipsissimam mentem firmamque voluntatem SS. Patris LEONIS XIII, in suo Decreto expressam, dato die 27 Februarii eiusdem anni.

4. Inter angustias religiosæ *obedientiæ* et naturalis iustitiæ sibi pugnantium Moniales positæ, enixe sæpiusque exorarunt Antistitem, ut aptiori dignaretur modo utriusque virtutis iura componere; ne *supra vires* plura, eaque gravissima, damna contrahentes subire cogeret; neve semet, suas in Domino Filias, Religionem ipsam maximo exponeret discrimini et populum scandalis si, re ad *civile Tribunal* adducta, hoc contra Episcopum sententiam (ut certum videtur) proferret, et inde ansam hostes Ecclesiæ sumerent gravius eam impetendi, ut sæpe factum est.

5. His aliisque rationibus et precibus frustra infeliciter datis, Monialium Capitulum, pro suo officio, *præcepto paruit*, illudque Scholæ nunciavit, die 7 Maii. Quod, ut erat expectandum, Scholæ authentica sequuta est *protestatio*, pro damnis præ-

sertim e præcepti executione secuturis. Interpellatione accepta, Capitulum perquam sedulo cavit ne res in deterius, ut minabantur, verterent, effecitque pro viribus, ut lis a Schola non ad civile tribunal deduceretur sed potius ad *ecclesiasticum*, ad Episcopos nempe Provinciæ, qui Lavallensi quæstioni componendæ ab Apostolicis Decretis fuerant deputati. Ipsum vero Monialium Capitulum *sui iuris* esse putavit, ad Romanam Eppm et Reggm Congregationem Emorum Cardinalium a proprii Ordinarii Mandato *appellare*. Quam viam ideo etiam inivit, quod eius rationes, preces et iura, tribus abhinc annis perquam humiliter scripto oblata Episcopo, et per eundem ad S. Congregationem de Prop. Fide transmissa, quo destinabantur (ignota de causa) non pervenerunt; ut patet ex Epistola Emi Cardinalis Simeoni (die 25 Febr. 1880) et ex alia Superioris Monialium (d. 18 Mart. 1880), ad Episcopum datis.

6. Absit autem a Monialium omnium et singularum mente animoque, ut vel temporis momento velint a spiritu et littera *Decretorum omnium Apostolicorum* cogitatione, nedum corde, discedere; necnon ab eiusdem S. Congregationis de Prop. Fide Decretis, Lavallensem Succursalem spectantibus. Contrarium enim evidenter patet ex earum epistolis aliisque documentis, vel ad Rmum Episcopum vel ad Scholam missis; quam minis etiam hortatæ sunt ut ad aliquam tandem animorum coniunctionem, vel saltem æquam compositionem, cum altera Facultate deveniret. Neque demum ipsa Monialium *appellatio* ab Ordinarii decreto, seu Decreti Apostolici *interpretatione* aliud petit vel innuit, quo audeant conqueri de Parente in D. dilectissimo, quem, inter spirituales Filias merito quidem non affectu postremæ, maxime verentur, ut par est, et amore prosequuntur. Sed hac *una super re* (et iustitiæ causa) ab uno animarum suarum Parente severius (licet invite, imo coacte...) cum iis agente, ad alios eosque altiores, Patres scilicet Emos S. Congr. EEpm et RRm, Moniales, pro suo iure, sed humillime et *ultimo* sese con-

vertunt. Idque animo iam nunc paratissimæ, ut quidquid pro sua Sapientia de iustitiæ iuribus hac in re decernere dignentur Emi Judices, idipsum statim pro Monialibus sit suprema et certa perterritæ suæ conscientiæ lex, tanquam a Deo ipso. Fatentur enim miseræ, duplicem, donec res componantur, pati ab extrinseco metum eumque gravissimum, imo vim et minas utrimque; hinc quidem maximarum spiritualium pœnarum, *ex inobedientia*, ut aiunt, ipsi SS. Christi Vicario; inde vero damnorum omnis generis, ex *iustitiæ* iuribus læsis, et a civili etiam lege vindicandis nisi serventur. Hinc absoluta *appellationis necessitas*, ad quam nunc primo confugiunt Moniales, ut ex religiosi Instituti annalibus plus quam bis sæcularibus constat.

Quæstionis propositio.

7. Humillimis igitur datis precibus, a S. Congregatione decernendum quæritur. —An Monialibus liceat, in casu proposito, Rmi Episcopi præceptum executioni mandare, salva iustitia? —Huic quæsito plures iuris civilis periti (saltem 7, e primis loci), documentis inspectis et re mature perpensa, *uno ore respondent negative.* Quorum rationes fusius videre est in singulorum scripto datis authenticis sententiis. Summam heic dabimus.

II

Quæstionis civilis synopsis.

8. *Facta* et *conventiones* plures legitime initæ, et per 33 annorum spatium ab utraque auctoritate confirmatæ, probant veram utrinque *obligationem*, a qua neutræ parti resilire licet, altera repugnante, quin ad gravissimorum damnorum reparationem lex civilis resilientem cogat. Episcopi vero præceptum, de contractu solvendo, nec sufficere aiunt, nec a lege ratum haberi. Nam:

9. *Factorum præcipua* hæc sunt: 1° Vetere Nosocomio cum Monialibus in longe ampliorem aptioremque locum migrante (anno 1860), privilegium, quo quidam e Scholæ Doctoribus fruebantur, toti Scholæ petenti concessum libenter fuit, quibusdam onerosis conditionibus positis, nullaque alia retributione nisi Nocosomii usu, ad Doctorum et scientiæ profectum. — 2° Nunquam alii nisi Scholæ DDes in Nosocomium admissi, vel nonnisi Scholæ Præside permittente, qui proinde aliquando, tanquam suo iure utens et Monialium Superiore id fatente, Doctorem, qui Nosocomii usum petierat, admisit et inter suos adnumeravit, alium vero ut extraneum repulit. —3° Idem, vel quivis Scholæ Doctor Nosocomio inserviens, infirmos adventientes libere excipiunt, vel sanitati restituos, pro suo iudicio, dimittunt. — 4° Ad maiorem utriusque contrahentis utilitatem arctiusque vinculum, anno 1872, Schola solum Nosocomio finitimum a Monialibus emit, ædificium magni superstruxit utrique parti aptissimum (sed ad alios fere usus inceptum), pecunia a Monialibus mutuata, cum fenore 6 et 7 %, et debito pertingente ad fere 100,000 francorum. —5° Alia demum complura

quotannis evenere et enumerari possent facta, quæ mutuam in dies animorum voluntatem et concordiam, imo necessitudinem ac contractus perennitatem evidenter præseferunt. Nec mirum, utrinque cura, sedulitas, æmulatio, quotidiana et longissima consuetudo, maxima denique utriusque utilitas operisque incrementum, sponte veluti sua, contractui vim in dies addidere. Hinc siquidem Doctores, omnes catholici, qui vel ab ipsis Scholæ exordiis, per 40 prope annos religiosis Domibus urbisque pauperibus *gratis* medebantur, quidam pecunia etiam iuvabant; ii inquam, infirmis Monialibusque Nosocomii gratuitam assiduamque, per idem ferme tempus, operam navabant: inde vero magnus tum ægrotantium (ad 300), tum discipulorum (ad 160) confluentium numerus, tum imprimis Monialium religiosa diu noctuque vigilantia et charitas, domus ordo nitorque, etc.; omnia hæc præclaram utrisque exhibebant opportunitatem sibi, non minus ac scientiæ et catholico nomini, honorem conciliandi augendique.

10. Quod ad *conventiones* spectat, *generatim* eo omnes tendunt, ut quam maxima infirmorum corporum animarumque cura habeatur, ut religiosi severique Instituti regulæ, nec non Monialium plenæ, in Nosocomii rebus gerendis, libertati et a DDbus independentiæ omnino prospiciatur, ut demum omnia in SS. Religionis catholicæ, inter æmulos heterodoxos, bonum vertant. *Speciatim* vero Doctores tenentur: 1° alios a Scholæ Professoribus nec in Nosocomium admittere, nec etiam inter suos annumerare insciis aut invitis Monialibus — quibus imo: 2° plane integrum est quemvis ex ipsis DDbus iam admissis reiicere, semel ac id æquum putent—nec non, 3° Sororibus infirmis mederi; ægros aut convalescentes Ecclesiasticos, laicos viros aut mulieres altioris conditionis, discipulos, orphanos, &c. in separatis domus partibus degentes, excipere et curare independenter, si velint, a Scholæ medicis.—Qui 4° eorumque auditores, in infirmorum visitatione, practica Schola, operationibus

chirurgicis, &c., permultis subesse debent, a Monialibus præscriptis aut præscribendis regulis, iisque medicæ professioni incommodis, quas tamen religiosa et claustralis identidem iureque exigit disciplina. Qua in re Moniales liberrime agunt, neque unquam adhuc, vel in minimis, Schola obstitit.— 5° Doctores olim tenebantur in solidum, nunc quisque seorsim et pro rata, Monialibus solvere centum fere francorum millia, cum fenore 6 et 7 per °/° pro Scholæ ædificio. Quo debito liberari, nonnisi ex alumnorum minervali et clientium, extra et propter Nosocomium, in dies crescentium numero, sperare datum est. Eoque accedit, quod sine Nosocomii cura neque civilem existentiam, ex regionis lege, habere Schola potest.

11. His aliisque Scholæ oneribus nullum fere aliud ex *parte Monialium* respondet, nisi ut ius Nosocomii curam omnem habendi, ab initio Scholæ traditum, *sola servet.* Nihilominus, ex æquo et bono atque in plenæ fiduciæ pignus, Moniales libere se iure privarunt communes infirmos excipiendi vel dimittendi, inscio vel invito Doctore medente; apta Professoribus discipulisque in Nosocomio loca, supellectilem, artis instrumenta, etc., ad Scholæ fines suppeditarunt; totam denique Nosocomii prosperitatem infirmorumque *cuiusvis* nationis curam a seipsis in solam Scholam vadem reiecerunt. Utraque demum pars contrahens his aliisque pluribus minoris momenti, sed scripto pactis conditionibus, stare se obligavit, donec vel mutuo liberoque consensu, vel gravibus de causis claustri regulam spectantibus, separentur, vel separari cogantur, si forte (quod Deus avertat) per ecclesiasticam Auctoritatem, et authentice, Schola declaretur *S. Matri Ecclesiæ rebellis.* Quæ omnia plane comperta, plenaque hactenus fuere Ordinarii Auctoritate sancita.

12. Inde est quod omnes, ut diximus, iurisconsulti deducant veri nominis obligationem ex oneroso iustitiæ contractu; simulque (ubi iura lædantur) gravissimorum damnorum

reparationem, a lege petitam. Quidam hæc enumerant, quæ satis est hic breviter innuere, quæque ad duplex notum reducuntur caput, *damni emergentis et lucri cessantis*, tum pro Schola tum pro Monialibus. Scholæ damnum desumitur: ex gravi debito erga Moniales, mediisque deficientibus ad illud solvendum: ex ædificii valore et usu ad alia, eo loco, fere nullis: ex iure Corporationis, docendi aliisque civilibus privilegiis, quæ Schola pereunte perirent simul. Lucrum vero, in præsens satis amplum, præsertim ex discipulorum ac clientium in dies augentium numero, in posterum cessaret penitus. Quibus accedit magnum Catholicæ Scholæ *dedecus*, post 40 fere annos extinguendæ, idque iussu ecclesiasticæ Auctoritatis, agentis nomine, ut dicitur, ipsius SS. Patris LEONIS XIII. Quæ omnia si acciderent, maior Scholæ Professorum pars (eorumque antiquiorum magisque egentium) in gravem cum suis adducerentur necessitatem. De Monialium damnis inferius.

13. Ipsi iuris civilis periti, a Rmo Episcopo interrogati, non aliam ab hac protulerunt sententiam. Imo vero hæc iamdiu a longe *altiori Auctoritate* verbis et re prolata, *factoque* ab ipsa Lavallensi Succursali admissa fuit. Nam 1° sex abhinc annis Exc. D. G. *Conroy*, Sanctæ Sedis Legatus, qui vehementer Moniales urgebat ad Lav. Facultatem in Nosocomium excipiendam, pervolutis tamen documentis, *fassus est Monialium Superiori*, contractus initos eas inter et Scholam scindi iure non posse invitis partibus. Quare mitiorem exinde iniit viam, ipsamque Lav. Succursalem inire coegit; v. gr. quum *iussit* ut Schola integra tanquam *corpus* et ut Lav. Succursalis haberetur, etc. Hæc authenticis documentis et iuramento, si opus sit, firmari possunt. 2° Biennio post, ipse Emus Cardinalis *Simeoni*, licet documenta a Monialibus per Episcopum Marianopolitanum ei transmissa non legerit (quacumque demum de causa), ius Scholæ tamen agnovit, quum a Monialibus aulam 50 tantum infirmos capientem, in usum Lavallensis Succursalis petiit

" quin ullum, inquit, Scholæ nocumentum adveniat, quæ reli-
" qua Nosocomii maiori parte uti libere potest " (25 Febr. 1880).
Ex quo aperte patere videtur, amicum fœdus inter utriusque Facultatis DDes, vel fœderis initium, ab Emo Cardinali urgeri, non vero *contractus scissionem*, eoque minus Scholæ mortem. 3° Quid quod Lav. Succursalis ipsa *facto* demum ius Scholæ ac Monialium agnovit, quum, fœdere æquisve conditionibus dure, de more, reiectis, Scholam tamen Nosocomio eiicere non est ausa, sed aliud sibi conquisivit *apud protestantes*, novoque catholico nunc utitur, cuius nomen " L'Hôpital Notre Dame " ?

14. Postremo, si adhuc, post eius modi facta et contractus, aliquod forte dubium superesse videretur; nonne sola iuri probando sufficeret tam *longa præscriptio*, non modo omnibus vestita legitimis conditionibus, sed (quod pluris est et mirum !) omnia adhuc probante ipsa Auctoritate ecclesiastica, quæ nunc obstat, et conventiones omnes admissi contractus scindere per præceptum contendit ?

15. Unica, ut dictum est, huius præcepti et agendi modi a Rmo Episcopo affertur ratio Monialibus, h. e. SS. Patris LEONIS XIII. Decretum. Sed de hoc inferius; præsertim quum civilis iuris periti de eo quidquam dicere non sint ausi. De Rmi tamen Episcopi præcepto sententiam, suos intra limites, tulerunt; atque in hoc ommes consentiunt : illud *non esse rationem sufficientem* scindendi contractus. Hic enim, ex dictis, est undequaque iustus, ac proinde invitis partibus scindi nequit; nisi dicatur, Superiorem quod est iniustum iubere posse, obedientiam iustitiæ præponi eamque impune lædere. Neque alia procul dubio a iurisconsultorum foret *civilis tribunalis* sententia, si ad illud res deduceretur ; quod simul, aut vi non sineret Scholam iure et loco deturbari, aut ad damnorum omnium reparationem Moniales cogeret, vel Episcopum ipsum. Quot autem quantisque id periculis, scandalis, imo etiam ipsius catholicæ communitatis

damno verteret nemo est qui non videat. Cui gravisimo sane incommodo utinam, tota hac in re, satis ab omnibus fuisset provisum, huc non essent res adductæ. Mirum vero quod Moniales præ primis ei mature prospicere et, suis pro viribus, consulere conatæ fuerint! Scholam enim hucusque non modo in officio continuere, sed novam nuperrime (19 Mart. 1882) conditionem contractui addidere, Scholamque admittere, licet hærentem (laqueum sibi parari suspicantem) suaserunt; quæ scilicet conditio S. Matrem Ecclesiam et Superiorum ecclesiasticorum *Auctoritatem* simul spectat. Verum hac de re deque Scholæ *affiliatione* Universitati protestanti *Victoriæ*, aptius suo loco.

III

Brevis moralis quæstio.

16. Quæstioni et casus resolutioni secundum legem nedum civilem sed et naturalem, plane consentire moralis doctrina videtur. Non enim duplex datur iustitia et obligatio, neque utriusque vincula cum contrahentium damno, iis invitis, obedientia solvere unquam valet. Deus ipse iniustitiæ culpam nonnisi reparatione, saltem voto, facta, remittit, iuxta illud S Augustini. " Non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum ". An Eum dicemus velle aut approbare præceptum iubens iniuste agere? Nihilominus, ut supra dictum est, Rmus Episcopus ad Moniales scribens contendit, contractus huius solutionem esse ipsius Summi Pontificis, in Decreto 27 die Febr. dato, firmam voluntatem, imo *præceptum in virtute s. obedientiæ*. Cui sententiæ consonat Decreti eiusdem *interpretatio* ab eodem Episcopo addita in sua Pastorali Epistola ad Clerum et Fideles Diœceseos, die 25 Martii 1883. Ait enim Bmum Patrem: 1° prohibere quemvis quicquam *moliri*, etc.; 2° iubere *opem afferre*, etc.; 3° *utrumque*

vero in virtute s. obedientiæ (toujours en vertu de la sainte obéissance).

17. En autem Decreti verba, quæ nos spectant. "Sanctitas sua districte mandavit *in virt. s. obedientiæ* omnibus fidelibus... ne contra Lavallensem Succursalem audeant aliquid "*moliri*, aut quavis ratione eam impugnare, sed *potius*.... ut "omnes communi studio eidem Institutioni provehendæ opem "præsidiumque pro viribus afferre nitantur."

Antequam Rmo Episcopo respondeamus, iterum plene ac humillime fatemur cum Monialibus, nos SS. Patris Decreto, tum quoad litteram tum quoad spiritum, toto corde adhærere. Imo vero, vel *solum factum*, si constet, Summi Pontificis, vel S. Rom. Congregationis, auditis partibus, inbentium contractus initi solutionem, fore pro Monialibus *ultimam* iusti normam. Sed aliud est adhærere *Decreto*, aliud vero eius *interpretationi*, etiam a tribunali, sed inferiori, datæ; præsertim quum rationes oppositæ evidentes saltem appareant. Quod si quis, tali in casu ac re gravissima, ad superiorem humillime eamque legitimam appellet Auctoritatem, suo sane utetur iure; neque ideo nota urendus (quæ aliquot abhinc annis passim vel optimis civibus appingitur) *rebellionis* ipsi Sanctæ Sedi, Christi Dei Vicario, S. M. Ecclesiæ, etc. Quod an levitati et imprudentiæ, an malorum artibus, an utrique tribuendum, ad nos non spectat affirmare. Sed illud certum est, hæc et similia palam et sæpe circumferri indebite, magno cum populi scandalo et inimicorum christiani nominis emolumento, et quod consequens est, cum SS. Religionis damno et contemptu. Suprema enim Auctoritas sæpius quam par est ac falso in medium allata, facilius graviusque impetitur.

18. Decreto itaque plene admisso, quod ad Rmum Episcopum attinet, *generatim*, et veluti a priori, respondendum videtur: 1° Illud applicare contractui qualem supra exposuimus, huiusque dissolutionem ab eo iure deducere, videri rem non

modo incredibilem sed et absurdo proximam! Quid igitur erit asserere, ipsum Christi Vicarium, qui est veri iustique norma, *re cognita*, formaliter velle et iubere contractum talem abrumpi? idque (mirum!) in *virtute s. obedientiæ?* Nonne vel sola hypothesis dicenda adversus SS. Patrem maxime iniuriosa? (*) Talem ferme prædicant quotquot apud nos honesti viri rem norunt, et hæc tamen audiunt: talem et contrahentes *in conscientia* arbitrantur ita, ut Legislatorem ipsum adire et interpellare sint ausi. — 2° *Speciatim* vero, quoad verba Decreti, libenter fatentur: *a*) sub gravissima pœna damnari eos, qui contra Lavall. sive Universitatem sive Succursalem quippiam machinantur, vel eas quavis ratione (*iniusta* scilicet) impugnant. Secus enim dicendum, easdem vel nunquam posse iniuste agere, vel, si id forte accidat, non posse ad tribunal traduci. Quis autem hæc dicat? Quis itaque contra easdem *machinari* audeat dicere illos, qui ab iniusto agressore sua iura legitima, evidentia, diuque possessa defendunt; idque coram altiori ecclesiastico tribunali? — *b*) SS. Patris Decretum vehementer quidem hortatur omnes (iubet etiam si velis) potius iuvare *pro viribus* Lav. Universitatem et Succursalem. At quod *potius* est (h. e. melius) quam longissime differt ab eo quod est faciendum sub pœna gravissimi peccati et in *virt. s. obedientiæ*, ac si res esset necessaria ad salutem! Quod autem *supra vires* illud sit quod ab Episcopo iubetur, præter iustitiam, quæ vetat unquam iura lædi, hæc ex dictis eiusmodi sunt, ut iis pereuntibus Schola pereat necesse est; Moniales autem fere. Nam, præter gravissima damna superius enumerata, *triplici*, si ita loqui fas est, lethali vulnere conficerentur; regulam claustralem, consuetudinem vetustissimam (220 annorum) plenamque a laicis præsertim DDus independentiam graviter sauciante; sed de his suo loco. Quis interim dicat, quemvis ad semet perimendum teneri, vel cum *peccare* si vitam defendat? — *c*) Discrimen evidenter agnoscendum *negativam* inter præcepti partem et *positivam*; hanc omnes docent non obli-

(*) V. Encycl. SS. Patris LEONIS XIII, dat. die 29 Jun. 1881.

gare cum gravi incommodo; quanto minus, cum gravissimo, quocum neque præcepta positiva Dei obligant, nisi quibusdam in casibus, quum v. gr. vel ad negativum præceptum vel ad saluti necessaria reducuntur. Num eiusmodi est auxilium Lavall. Succursali exhibendum? — *d*) Vulgatissima sunt principia — nemo tenetur ad optimum — verba legis huiusmodi stricte interpretanda — odia restringenda, etc. — *e*) Si denique Rmi Episcopi *interpretatio* urgeatur, omnia igitur Succursali immolanda, etiam iustitia! divites *omnes* tenerentur *totum* id quod pro viribus possunt tribuere Succursali; imo vero Canadenses reliqui, nemine excepto, in eam neque petentem conferre quidquid vires stricte non superat, eamque vel *directe* vel *indirecte* (ut asseritur) iuvare potest, v. gr. agros, reditus, brevi, bona quævis ei utilia! Hæc autem omnia, aliaque sexcenta, *sub gravi*, nomine Sanctæ Sedis, ac in *virtute* s. obedientiæ Ei debitatæ, dicuntur iuberi!

IV

Quæstionis pars Canonica.

19. — Sed instat Rmus Episcopus. Ait enim: firma est voluntas S. Pontificis *unicam* in ecclesiastica Provincia esse debere catholicam Universitatem, et unicam Marianopoli Succursalem, Lavallensem nempe iam canonice erectam. — 2° Idem SS. Pater, post PIUM IX, felicis memoriæ, expresse prohibet, catholicas Facultates iuris (NB. Nulla iuris civilis catholica Facultas extabat anno 1876, nec adhuc extat!) et medicinæ Protestanti Universitati manere adnexas per eam quam vocant *affiliationem*: itemque catholicos iuvenes vel illas vel hanc frequentare. — 3° Schola proinde eiusque discipuli Decretis Apostolicis repugnantes ac Succursalem adversantes, hoc ipso sunt

S. Matri *Ecclesiæ rebelles*; a fortiori vero, si ius suum prosequi et tueri Schola velit coram civili regionis Tribunali. — 4° Hinc *contractus* cum Monialibus *abrumpitur*, quæ hanc explicite conditionem apposuere.

Quæstio hæc Scholam primo et *directe* spectat; sed Moniales etiam attingit non modo *indirecte*, vuluti per consequens, verum *et directe*. Nam, supposita ad momentum (argumentationis causa) contractus solutione, sunt adhuc *Monialium iura omnino in tuto ponenda*. Liceat itaque, ad plenam, quoad eius fieri potest, quæstionis cognitionem, nonnihil et perquam breviter innuere de Scholæ *affiliatione* protestanti Universitati, deque *Scholæ rebellione*.

20. Quoad 1. *a*) Schola Episcopi instantiam primam et alteram libenter admittit; ac ea qua par est animi demissione Decreta Pontificia excipit. — *b*) Quod si *pro tempore* protest. Universitati adhæret, id *solum* est ut vivere adhuc possit, et *donec* aliquid (secundum ipsa Apostolici Legati statuta) ei tribuatur, quod eam *iniuste perire* non cogat. — *c*) Hæc eadem ratio est cur (non rebellis more sed humillime) sæpius ab ipsa ecclesiastica *Auctoritate* petiit *affiliationem* ipsi Lavallensi Universitati, *postquam* hanc iam ingressa, ita iubente Exmo Apostolico Delegato, violenter eiecta fuit a Rectore Universitatis; qui pluries verbo et scriptis fassus est se maluisse, et adhuc malle, Scholæ Doctoribus liberari. — *d*) Hi autem *etiam nunc* parati sunt iterum in *Succursalem ingredi*, vel iustis, secundum Decreta, conditionibus, vel similibus, sed æquis. *e*) Tales autem certe non sunt, quæ *specie* quidem Scholam ut *Corpus* admitterent, *re* tamen *vera septem* antiquiores et magis egentes, e decem Doctoribus, *ingredi* prohiberent iniuste, *tres* vero reliquos exciperent quidem sed relictos eiusdem Rectoris arbitrio, qui omnes antea eiecerat. — *f*) His accedit, quod debito erga Moniales (100,000 franc.) *omnes* tum reiecti tum ita admissi, singillatim gravati manent; dum DDes Succursalis novæ ac violenter a solo Rectore constitutæ (homines novi fere omnes et undique corrogati), Scholæ Doctorum *in-*

iuste eiectorum locum usurparunt. Quis, quæso talia iusta dicat? Quisve Scholam, *æquioribus conditionibus* Episcopo obedire paratam, rebellem vocet? — *g*) Illius demum affiliatio protestanti Universitati (quam adeo exaggerant adversarii, quamque Schola diffiteri non renuit) *materialis* tantum est non formalis. Nullus enim ex ea protestantium *influxus*, aut vitæ consuetudo, nulla, ut in Europa, fidei professio, aut alius quivis *religiosus ritus*; nil, brevi, quod catholicum vel Doctorem vel iuvenem dedeceat, qui *diploma* ipsum directe a Schola accipit; hæc autem *solum* pro unoquoque diplomate *mittit* Victoriæ Universitati, *in alia civitate degenti*, 100 francos, quos Lavallensis Universitas a Schola percipere potest, si velit. Sed hæc nullum in suo sinu Doctorem protestantem, vel secretis societatibus addictum, retinet; nec unquam docuit illicitos abortus, infanticidium, craniotomiam, etc., quæ Doctores heterodoxi passim docere solent. Num idipsum de se Lavallensis Universitas vere affirmare queat? *Materialis* igitur *tantum* est præsens Scholæ affiliatio, haud secus, imo vero minus adhuc, ac ea quæ permittitur catholicis Facultatibus et Collegiis in Canada Superiore. Ceterum, si de *nomine* sermo sit, nonne ipsa Lav. Universitas a Londinensi quadam *affiliationem*, iamdiu et ante Scholam, petiit, obtinuit, deque ea gloriatur? Erubescet igitur Schola de tanto *crimine*, patrato *solum*, ut vivere ei liceret, idque *postquam* a Lav. Universitate sæpius affiliationem petierit (etiam ante Pontificia Decreta), sordidamque semper repulsam tulerit? Et hæc *sola* causa fuit, cur Schola tandem a protestantibus affiliationem petierit, ut viveret. Hæc forte, Romæ, adhuc ignota sunt!

21. Hinc 3 et 4 obiectio, seu machina inventa ad Scholæ destructionem, sua ruere mole videntur aperte. Quomodo enim, post dicta, *S. Matri Ecclesiæ rebellis* Schola dici potest? Rebellis sane ille non est, qui ad legitimam Auctoritatem confugit, de iuribus læsis rite queritur, rogat ut causam cognoscat, expectat denique humiliter, ut *causa cognita*, iudex sententiam

proferat. Idem, a fortiori, non erit *Ecclesiæ* vel *Pontifici Supremo*, rebellis, si huius Auctoritati nec formaliter nec materialiter unquam obstitit, sed *tantum* causam proximum Superiorem spectantem, ad altiorem, vel (si non audiatur) ad altissimum etiam referat, *pro suo iure*, ex animo tamen paratissimus, Huic rem cognoscenti et iudicanti plane acquiescere. An pluribus opus est ad rem conficiendam?

22. Sed præstat de civili Tribunali, in hac præsertim regione, perpauca innuere. — *a*) Ab eo adeundo, Monialium opera præcipue, Schola hucusque abstinuit. — *b*) Si *de iure* sermo sit, quum non agatur de *personali* ecclesiastica *immunitate*, neque de *reali sacra*, sed mere civili re, non videtur illud canonice prohiberi.— *c*) Neque *hic* expectandum quod olim in catholicis regionibus vel iure vel facto servabatur; civilia nempe aut componi ab ecclesiasticæ Auctoritatis tribunali, aut a civili, ea permittente.—Imo *d*), tum lege tum vetustissima consuetudine regionis, ecclesiastici heic passim a laicis pro huiusmodi litibus ad civilem iudicem traducuntur, et vicissim. Cur igitur id Scholæ non liceret? — *e*) Quid quod quæstiones ipsæ de decimis, funeribus aliisque *ecclesiasticis* potius quam mixtis, lege favente, et ecclesiastica loci Auctoritate aut silente aut consentiente, civili iudici pluries apud nos fuerunt attributæ? Satis sit causas innuisse (ab hominum vel loci nomine nuncupatas) *Guibord*, *Sorel*, *Bonaventure Charlevoix*, *etc.*, in quibus sacra personarum rerumque immunitas, ipsa Ecclesiæ Sacramentorum divina majestas, a *catholicis* et *Lavallensis Universitatis Professoribus* ad civile tribunal deductæ, perperam etiam iudicatæ, pollutæque fuere, non sine universi populi Canadensis scandalo. Qui hoc præcavere, avertere, vel saltem obstare, pro munere, poterant, obmutuere; leges imo quasdam (v. gr. *matrimonii inter cognatos*, *minoresve*, clericalis *influentiæ*, quam dicunt *indebitam*, etc.) quæ, ecclesiasticæ Auctoritatis influxu, facile poterant e codice expungi a catholicis legislatoribus, eas inquam, quin

oppugnarent, effecere e converso ne delerentur, causati protestantium et impiorum clamores fictos, dum veris (inscii quidem vel inertes) politicorum hominum artibus inserviebant. Hæc igitur omnia silentio præteribunt, patientur, fovebunt etiam; Scholam autem *crimine rebellionis* ipsi S. Ecclesiæ damnabunt, si sua et Monialium iura defendat apud iudices ecclesiasticos, vel etiam civiles, quoad civilia? Incredibilia hæc sane videntur, sunt tamen vera!

23. Ultimo loco videndum restat, qua ratione Scholæ supposita rebellio Moniales etiam *directe*, ut diximus (n. 19), attingit. Scholæ enim si quando Lavall. Succursalis succedat, Monialium iura omnia, adhuc intacta et ab illa rite servata, ab hac quoque sancte servanda, ut conditio *sine qua non*. Ea iura, paucis, conventionibus cum Schola initis continentur; sed claritatis causa, ad tria revocari possunt capita: h. e. ad religiosi Instituti regulam — ad plenam a DDbus independentiam in Noscomii ordine, disciplina, regulis omnibus; imo et in ipsis Doctoribus admittendis aut reiiciendis, ut mos est cum Schola — ad consuetudinem pervetustam (220 annorum) in utriusque iuris prioris usu. Perpauca de singulis: 1° quoad *regulam*, evidenter patet, ei se debere Doctores accomodare, non vero contra. Quod si quædam forte oriatur difficultas, *solius* erit Episcopi de ea iudicare eamque removere. — 2° Idem de *independentia* dicendum, tum a Succursalis DDbus, tum a quovis alio ad hanc vel ad Quebecensem Universitatem pertinente. Non enim Moniales earumque Nosocomium Succursali egent sed e converso; neque illis leges imponi queunt ac si *affiliationis* vinculis tenerentur.— Hinc 3° *consuetudo*, qua a 220 annis Moniales gaudent, plenissimæ, quoad Nosocomium, libertatis, præsertim admittendi reiiciendive Doctores, omnino ac antea, inter præcipua et inalienabilia iura accenseri debet. Et, siquidem novos inter suos DDes Succursalis cooptet, suo quidem libere utatur iure, sed suo quoque procul dubio Moniales uterentur, si hos vel quemvis

alium e prius admissis reiicerent, quum id æquum fore iudicabunt. Idque eo vel magis, quod Moniales verentur, Marianopoli quoque, aliquando saltem, non impossibile fore quod Quebeci accidit et adhuc videre est; Doctores scilicet protestantes sectisque addictos, inter catholicæ Universitatis Doctores connumeratos. Quod eiusdem Universitatis Rector nuperrime (in quæstione cum D. Landry, a 30 April, ad 7 Maii 1883) nec *malum nec mirum* esse asseruit " adeo ut nec impediret quominus Romæ canonica Universitatis Lavallensis erectio obtineretur! " Hunc autem agendi modum illi comparabat, quo catholicæ familiæ, etiam religiosæ, Doctoribus heterodoxis utuntur passim: quasi idem esset eos pro lubitu advocare, ac ad eos admittendos obligari! Si ei idem est, ipse viderit, Monialibus tamen non ita; quæ insuper iure putant aptissimos Medicos inter catholicos Canadenses facile inveniri, quin aliis egeamus; hosque illis præferre, probrosam nimis esse, apud nos, regioni æque ac Religioni iniuriam. Ceterum, quæcumque tamdem futura sit Scholæ cum Universitate compositio, vel quiviscausæ præsentis exitus (quem sane Moniales peroptant precanturque, fore Deo ac SS. Jesu Cordi gratum, Canadensi Ecclesiæ populoque honorificum, Nosocomii denique infirmis, seu Christi membris, perutilem); illud *pro certissimo* habendum, Moniales nunquam ulli e suis adeo validis iuribus nuntium missuras, nisi id iubente SS. Dei in terris Vicario, quem Deus diu sospitet.

V

Appendix.

Quænam videatur possibilis et æqua partium litigantium compositio.

24. Quamvis quæstio hæc ad nos non spectet, nec a Monialibus eius solutio pendeat; nihilominus tum ipsæ tum Schola quam longissime absunt ab *æqua* cum Lavallensi Succursali compositione reiicienda. Imo vero hanc maxime in votis habent, idque unice ut Sacræ Congregationi de Prop. Fide, eoque magis SSmorum Pontificum PII IX et LEONIS XIII, feliciter regnantis, Decretis, ea qua par est obedientia, morem gerant, *opem pro viribus* ferentes Lavellensi Succursali, dummodo id fiat servatis *iustitiæ iuribus*. Quæ salva et intacta certe manebunt, si modus inveniatur, quo *vita et prosperitas* cuiusque contrahentis serventur *absque ullius damno*. Hoc autem facile fieri posse arbitramur, si v. gr. (ut paucis dicam) res eodem revertantur, quo, *iubente Sanctæ Sedis Legato*, adductæ fuerant; ut scilicet Schola iterum in Succursalem Lavallensem ingrediatur, servatis servandis. Nec sane *iniuria* novis paucisque iunioribus fieret Doctoribus, post illud tempus, a *solo* Universitatis Lav. *Rectore*, veluti per clarigationem accitis, violenter eiectis antiquioribus. Illos etiam posset, si velit, inter *honorarios* vel *substitutos* annumerare, imo vero quosdam actu docentes suis locis relinquere, post Scholæ Doctores. *Longe æquius* sane videtur id illis quam his proponere, ut factum est, quasi ad ludibrium! Præter enim rationes allatas (n. 20) illi iuniores sunt aut veteres Scholæ alumni, nullo ligantur contractu, nullo gravantur debito, nullum denique minerval (ut incipientes), aut per-

cipiunt aut percipere ius habent præ longe antiquioribus magisque egentibus. Ac si qua forte, non quidem iniuria, sed animi ægritudine illi afficiantur, speque melioris conditionis priventur ad tempus; num hæc comparanda Scholæ dolori, damnis, iniuriæ, dedecori?

25. Quod ad Moniales attinet, hæ perquam libenter cuicunque libero partium contendentium fœderi vel æquo pacto acquiescent, ac magno animo utramque aut alterutram Facultatem excipient si paciscantur, et legitima Auctoritas pacta probet. Verum, quovis in casu, nulli e suis *iuribus* superius expositis (n. 23) cedere vel possunt vel debent. Inter quæ nec Scholæ *debitum* (100,000 fr.) negligi valet, quod condonare, est omnino earum *supra vires*, idque ecclesiasticæ Auctoritati ita in comperto est, ut nihil magis. Num pauperum infirmorum ac religiosarum Virginum humeri, ære alieno iam maxime obærati, tanto oneri subesse debent, quod ipsa Romana Decreta Episcopo et Diœcesi universæ, fructum percipientibus, imponi iusserunt?

THESIS II.

PARS I.

In quæstionem hanc **spiritu** et **littera** trium S. Sedis **Decretorum** rite advocatis, nec non prioris Pontificii **Legati** (*Exc. Conroy*) mente eorumque ad opus deductione : rite simul evidenterque deducitur :

P. II.

Lavallensem Universitatem, primo Decretis iisdem, sub triplici respectu, pro viribus **repugnasse** : tum, ea partim conculcando, partimque ad præposteram trahendo interpretationem, iis indecore fuisse **abusam** (**ad monopolium**) : proindeque incredibili cum S. Sedis dedecore, Religionis hostium gaudio, populi christiani scandalo, studiorum et iuventutis, Marianopolitanæ præsertim, damno, suimet denique ipsius detrimento.

P. III.

Maior vero **Scholæ** Doctorum pars, catholico informata et ducta **spiritu**, Decreta eadem semper verbis et re humillime, ut par erat, **excepit** : eorum vero **applicationem**, initio nil suspicati, Lavallensi Rectori et Rmo Episcopo ita commiserunt, ut fere in sui et Scholæ destructionem consenserint : deinde laqueos nacti, promissis iam pactis frustrati, violenterque a Succursali eiecti, mature et prudenter pristina recuperare **iura** liberta-

temque adlaborarunt: per **falsas** denique Decretorum interpretationes, per **subreptiones obreptionesque** ad semet perimendos acti, ipsam Apostolicam Sedem, de omnibus male passis iure querentes, humillime **interpellant**: sponte etiam **iuri renuntiantes** civile adeundi tribunal; idque in novum sui catholici sensus pignus, sacri Tribunalis fiduciæ, pacisque amore revocandæ.

I

Decretorum spiritus, littera et exsequutio.

26. Decretorum *Spiritus*, 1° *a priori* et absolute alius esse nequit nisi fidei, doctrinæ, morum puritas et tutela, tum iuventutis Marianopolitanæ tum Professorum, necnon severiorum præsertim studiorum incrementum, ac ipsarum Facultatum prosperitas — 2. *a posteriori* vero, et hypothetice, seu ratione habita rerum ut sunt, spiritus Decretorum talis est, ut si quæ in executione iura præexistere comperiantur, vel ea iubeat servanda, vel potiora præferenda, vel omnia inter partes componenda ex æquo et bono: iustitia enim semper primas sibi vindicat. *Incommoda* proinde ac obstacula, si quæ sunt, rite removenda; media aptiora sumenda, spectantia Religionem, iuventutem, Universitatem, Facultatesque Marianopoli iam existentes. Quibus omnibus respondet adamussim Apost. Decretorum littera. Nam:

27. Quoad primum *Decretum* (1. Febr. 1876.) [A] spiritus seu *finis* significatur verbis "*necessità* di provvedere... ai giovani di Monreale... *d'impedire* che frequentino Università protestanti, e affiliazioni ad esse..." 2° *iura et media* indicantur apta *iuventuti*, h. e. Succursalis Marianopoli erigenda; ius et debitum Episcoporum *vigilandi* quoad doctrinam et disciplinam

Professorum et iuvenum.., iisdemque Episcopis " *in unione con Laval* " *executio* erectionis committitur, sub quibusdam *basibus*, seu normis... 3° apta etiam Univ. Lavallensi, h. e. eius independentia in *fundamentalibus*, dependentia vero ab Episcopis in doctrina, disciplina, vel in *mutationibus in melius* proponendis; modusque indicitur vigilandi et iuvandi, ad ipsius Universitatis securitatem utilitatemque, v. gr. annua comitia, consilia... typis tamen exceptis (*la pubblica stampa*), quæ etc. 4° apta demum *Facultatibus* iuris et medicinæ, ut scilicet *valeant cessare* ab *affiliatione* Universitati protestanti, v. gr. *evadentes Succursalis Marianopolitanæ Facultates;* vel alio modo, sed *iura* sane servante pra existentia. Qui modus certe non esset *earum peremptio.*

28. Totus Decreti *contextus*, Apostolici *Delegati* verba et consequens agendi modus, *interpretationem hanc evidenter probant.* Logice enim *contextus* (ex ipsis Decreti verbis desumptus) ait: Marianopolitani Universitatem postulant... concedi nequit... aliquid tamen est tribuendum: quid? Succursalis—Quid autem de Facultatibus inibi iamdiu præexistentibus...? Impediendum" *che le Scuole di diritto e medicina continuino ad essere affiliate ad Università protestanti* — Utpote catholicæ, paratissimæ sunt ad obediendum; sed simul *egent medio* ad gradus discipulis conferendos... qua igitur ratione impediendum *che continuino...*? Num *negative*, h. e. iis vel neglectis vel a Succursali exclusis? Sed si hoc: 1° certe non impedirentur... 2° quisnam dicere audeat, S. Congregationem tam dure et iniuste agere velle cum catholicis ad obediendum paratis? 3° Nonne eadem Congregatio " *riconosce...* et vult etiam *positive provvedere alla suenunciata necessità*, protestantis affiliationis quoque impediendæ,,? quomodo itaque consulendum positive,, *alle dette Scuole* "? An per affiliationem Universitati Lavallensi? Non — An per earundem interitum ac condemnationem...? Hanc infeliciter nostris in templis audivimus, ac nisi suprema intercessisset Auctoritas, interitus, pro Universitatis votis conatibusque, impe-

divisset sane quominus " le *dette Scuole continuino*"! Verum: 1° cum his totum *naturæ ius* et honestas perirent simul. 2°. Vetus Canadensis populi existimatio de Romanarum Congregationum sapientia, æquitate, caritate; fides ipsa et avita relligio, dire exagitatæ, nutarent; imo ex multorum iam nutantium animis (ut facto infeliciter constat) eradicarentur, unius Universitatis culpa! At malis his omnibus Decreti ipsius nedum contextus sed *verba factaque* luculenter occurrunt. *Contextus* enim (ut dicta colligam) ait: Omnino providendum est *triplici* necessitati, ad obviam eundum *triplici* incommodo (de quo in textu)—Atqui, nec *triplici* necessitati providetur, nec *triplici* incommodo obviam itur, nisi per Facultatum (iuris et medicinæ) *ingressum* in Succursalem; idque ad servandam iustitiam, caritatem, ad scandala vitanda... Ergo Facultates eædem *Succursalem ingrediantur*, iubente Decreto. Hoc autem *unicum medium* (ait S. Congregatio) *omnia conciliandi* (ut contextus probat, nec sine S. Congregationis iniuria contrarium asseri potest) Rmis Episcopis *exequendum mandatur coniunctim* cum Lav. Universitate. Num *obtemperatum sit* videbitur (nn. 34, 35, 36,). Dixi *sine iniuria*: nam, rationibus aliis missis, Decretum hoc ipsum a *iustitia* exorditur, tanquam ab omnium quæ sequuntur *fundamento* (" *impossibilità d'un Università a Monreale, per la ragione ecc.* "); quamvis fundamentum hoc aliter se habeat reapse ac fuit Emis Patribus a Lav. Universitate expositum. Sed, de hoc quoque inferius (50). Num, quæso, iidem Emi PP. in Decreto eodem *iustitiam* vel supponendi vel dicendi sunt conculcare voluisse, per præexistentium Facultatum *mortem*, earumque iurium ? Quæ *iura*, ut sunt, tunc temporis PP. sane ignorabant; non secus ac Rmi Episcopi Decreti huius *petitionem*, quatuor ante annos ab Un. Rectore ipsis in comitium adunatis, propositam, cui fere omnes obstiterunt (v. infr. n. 82, 3°).

29. Textus demum ipse, seu *verba Decreti*, huic plane interpretationi consonant, vel clarius adhuc eam probant; quod

enim spectat ad Facultates, hæc habent : " *Si riconosce la ne-* " *cessità... d'impedire che le Scuole di diritto e medicina esis-* " *tenti in detta Città continuino ad essere affiliate ad Università* " *protestanti...* Sed quomodo impediendæ ? an per affiliationem ? " *È impossibile concedere l'affiliaz. alle dette Scuole* ". Quomodo ergo *huic etiam* necessitati providendum ? " *Per provvedere alla* " *suenunciata necessità, non si presenta altro espediente... che la* " *Succursale a Monreale* ". Sed, si Succursalis *aliis* componitur Scholis et Professoribus, quomodo *hac ratione* providebitur " *alle dette Scuole* ? " Respondeat, quæso, Rev. Universitatis Rector.

30. Quod plenius adhuc rem conficit, illud est, quod sæpius Apost. Sedis *Legatus* palam *asseruit, factoque* comprobavit. Ait enim " se non advenisse ad præexistentium Facultatum destructionem " : *re* autem, Univ. Rectorem *coegit, quammaxime repugnantem,* ad medicæ Scholæ DDes (de Schola iuris v. n. 19, 2° – 57 etc.) excipiendos, non modo omnes et singulos ut *membra,* sed etiam ut *Corpus* constituentes. Quid, post hæc, Delegato abeunte et vita functo, Rector egerit, mox videbitur (n. 37.). Ante tamen quam hanc thesis partem dimittamus, *imprimis* præstat animadvertere ; Lav. Universitatem *debuisse huic Decreto* semet conformare ad unguem, non modo ad Scholæ et populi, ut par erat, exemplum, sed ad communem veramque, imo vero *suimet ipsius utilitatem decoremque,* si *Aplico* novisset voluissetque se duci *spiritu.* Schola enim, ut de ea loquar, prosperrime tunc habebat, nunc autem ita ut nunquam antea ; numerat enim plus quam 70 supra 100, nova vero Succursalis minus quam ter denos artis medicæ alumnos ! Ex quo facile coniicere est, cuinam potius adspiret illa adeo quæsita iactataque popularis aura, Scholæ ne an Universitati ; urbi, olim principi (nunc aptis professionibus ac iuventuti mediis destitutæ) an in dies florenti Mariæ civitati. Nonne honorificentius utiliusque fuisset, tum Religioni tum ipsi Universitati,

Scholam præ altera eligere ut Succursalis facultatem, atque ita quodammodo (pro præsenti saltem) utramque urbem iungere amico fœdere, omniumque iura servare?

De altero et tertio S. Congr. Decreto, perpauca in præsens, pro thesis proposito, heic dicenda veniunt. *Prius* enim omnia ad Decretum hucusque expositum revocat; nisi quod ea maximo ipsius S. Pontificis auctoritatis pondere cumulat, quum ait " *essere decisa volontà del S. Padre, che debba starsi al Decr. di* " *questa S. Congregazione emanato nel giorno* 1 *Febbr.* 1876 ": quæ vero *rem aliam* spectant, perpendemus inferius (n. 59). *Posterius* autem et ultimum S. Congr. *Decretum* iam exposuimus (a num. 16 ad 18.). Tria demum simul in Appendice III.

II.

Universitatis Lavallensis oppositio spiritui et litteræ Decretorum.

31. Juxta Decr. 1., quo duo reliqua innituntur, Universitas *Provinciæ Episcopis* subesse sensu explicato (a. n. 26 ad 30) ac Episcopi *omnes* providere iubentur Marianopolitanæ *Succursali* constituendæ " *in unione con Laval* ". Ait enim " *Che però dovendo* " *questa Università servire... sulle seguenti basi* ". Quibus omnibus, imo et in iis quæ sequuntur usque ad finem, Eminorum Patrum tum *finis* attingendus tum *media* adhibenda digito veluti demonstrantur (*). Jamvero, 1° vel lippis et tonsoribus constat, *Prov. Episcopos* a nascentis Universitatis exordio ad nos usque, nec quidquam *facto* egisse, nec imo *potuisse*, ad hoc ius simul et debitum exercendum, a Decreto assertum, tum quoad Univ. Lavallensem tum quoad eiusdem heic Succursalem.

(*) Cfr. Epist. Card. Simeoni ad Prov. Episcopos, datam 27. April. 1882. M. C. Vol. 2. No. 7 p. 1.

2° Bellum imo ab Universitatis incunabulis exarsit utramque inter partem, nedum quoad *rem*, sed quoad ipsum Provincialis Universitatis *nomen*. (*) Cuius infelix certaminis, quam maxime lugendi, exitus fuit, venerabilis Antistitis Ign. Bourget, circa hoc tempus, renuntiatio Sedi, vel eius potius e Marianopolitana Sede deturbatio. 3° Post hoc vero tempus, Rmi Episcopi, *bis* ad exortas difficultates enodandas, humiliter a Schola vocati; duce semper et auctore Archiep. Quebecensi, primam dirimere litem aperte renuere, alterius vero nodum solvere nuperrime arbitrati sunt per solemnem Scholæ condemnationem; quam tamen feliciter cum reliquis ante et post actis, ipsa S. Sedes improbavit verbis illis: " Suspende omnia." Quorum omnium caussas hic quærere non refert, quum alterius sit loci, sed *facta* solum in memoriam præstat revocare, quæ ad rem faciunt, requiruntur ac satis superque sunt.

32. Quod vero ad *Lav. Universitatem* pertinet, præter mox dicta, quæ ipsi imprimis sunt tribuenda: 1° ante omnia fatendum est quod passim constanterque asseritur, quodque sequentia, ex innumeris quæ afferri possent, exempla confirmabunt, eam inquam, potius quam catholico (universali nempe) ac nationali, *sibimet proprio*, nimis arcto, locali et Quebecensi, si ita loqui fas est, *agi spiritu*; idque ab eius usque vitæ initio: eius vero Rectores, binos præsertim ex postremis (qui 20 fere annorum spatio gubernarunt), *fortiter* quidem rem gessisse, cumque externis vero catholicis (de quibus solis est hic sermo) *violenter* etiam egisse, vix tamen unquam *prudenter*, eoque minus *suaviter*. Quæ duo postrema, nisi in iis qui præsunt inveniantur, maxima sane incommoda exorientur, imo scandala, ubi sacri sint Præsules, quantumvis pii. Qui sanctus est, pro nobis oret; qui doctus nos docent; nos tamen regat qui prudens – Sed, ad rem nostram pressius.

(*) " Mémoire de Laval " Québec 1863. Epist. Arch. 27 Apr. 1852. **M. C.** Vol. 2. No. 2. p. 7.

33. Scholæ DDes pluries, (*) *ante Decreta*, ab Universitate petierant *affiliationem*: eo scilicet *tempore*, *quo* S. Sedes, quin obstaret, Episcopis favebat, sæpius inter se quæstionem hanc agitantibus (†); *quo* Marianopolitanus Antistes instabat, ne Facultes catholicæ suæ Diœceseos a *protestantibus affiliationem* petere cogerentur, qua omnino egebant, ad gradus suis alumnis conferendos, imo vero ad propriam vitam servandam; *eo tempore* demum, *quo* ipsa Lav. Universitas *verbis* saltem *scriptisque* aiebat, (‡) *se velle* quod petebatur largiri, *facto* autem secus res habuere. Quoties enim Scholæ DDes, vel per se vel per ipsum Episcopum, catholico sane spiritu informatum, aut affiliationem aut quodvis aliud æquæ compositionis genus inire petebant; toties prior e duobus commemoratis Univ. Rectoribus et illos et hunc expiscatis fucatisque rationibus repellebat, non raro etiam acerbe. (‖) Quæ demum princeps causa fuit, cur sæpius ita relecti vel contempti, fœderis cuiuscunque spem dimiserint, seseque converterint ad Victoriæ Universitatem, dolente quidem Rmo Episcopo Bourget, sed frustra repugnante. Atque utinam, *post illud tempus*, qui fuit huius incommodi catholicique dedecoris moralis auctor, ad errantes revocandos, sin minus generosius, mitius cum iis egisset; tunc saltem quum mitissima Apost. Sedes, (incommodi conscia ac providens) maternum illis sinum aperiebat in Succursali! Sed erat, contra, Matris sinus scindendus per Re-

---

(*) Plaidoyer de M. Hamel R. U. L. 20 Maii 1881. **M. C.** Vol. 6. No. 7. pg. 18 ad 26.

(†) **M. C.** Vol. 1. No. 1. pg. 3.

(‡) Epist. Arch. Queb. ad Episc. Marianop. 27 Aprilis 1852. Mémoire de Laval **M. C.** Vol. 2. No. 2. pg. 7.; Epist. E. A. Taschereau R. U. L. 4 Junii 1859. Ib. pg. 52; Epist. Arch. Martianopolit. 11 Jan. 1882. **M. C.** No. 2. pg. 186.

(‖) Inter alia, Epist. E. A. Taschereau R. U. L. ad Ep. S. Hyac. 15 Nov. 1864. **M. C.** Vol. 1. No. 1. pg. 11; Epist. Episc. S. Hyac. 16 Nov. 1864. Ib. pg. 13 et seq.

ctorem eundem, qui postea, Univ. Cancellarius et totius Episcopatus instigator, Scholam totam *Ecclesiæ nomine* ab ipso catholico gremio eiiciebat (*)! Erubuit pia Mater, his auditis, ingemuit, primasque Eius gemitus voces, una cum iussis, electricæ commisit scintillæ; epistola ad Rmum Marianop. Episcopum mox sequente, vulgoque impervia, satis tamen aliunde cognita.

34. Prioris *exemplum* sedulo diuque secutus est præsens Universitatis Lav. Rector. Eodem enim *spiritu animoque* ductus, diu nullum cuiusvis generis fœdus cum Marianopolitanis Facultatibus iuris ac medicinæ, sive ante sive post Decreta, admittere voluit: *ante* quidem, affiliationem denegans; *post* vero, in Decretor. *executione*, iisdem sub triplici, de quo initio diximus, respectu consideratis, *multimodis obsistens*. Arduum sane opus est omnia, quæ hac de re hinc inde typis edita extant, nedum referre et ad trutinam revocare, sed vel per capita et in summam colligere. Quod ad rei evidentiam spectat, satis superque foret ea commemorare quæ Rmus Episcopus Laflèche scripsit in Opusculo, cui titulus " Observations... sur l'inexécution du Décret " du 1. Fevrier 1876". Qui solide, de more, probavit: (†) "Execu- " tionem Decreti huius, a quo reliqua pendent, peccasse tripliciter, ac fundamentaliter; h. e. quoad personas–modum–et cir- " cumstantias" (V. præsertim conclusionem, pag. 22.). Verum, ad huius thesis propositum, aliam præstat inire viam; probandum scilicet, indubiis factis et documentis, Rev. *Hamel* Rectorem, præcipuum fuisse virum, qui Universitatis nomine huiusque potenti sub Cancellarii patrocinio, omnia patravit, quæ de Lavallensi Universitate in thesis enunciatione affirmantur. Eundem præterea (quidni fateamur?) per fas et nefas, artibus sibi pro-

(*) Ordinatio Rmi Episc. Fabre, 27 Jul. 1883, promulgans sententiam Arch. Queb. 25 Junii 1883. **M. C.** Vol. 7. No. 12. pg. 101; Epist. Circ. Episc. Marian. 28 Julii 1883. Ib. pg. 105.

(†) **M. C.** Vol. 2. No. 7. per totum; Mémoire à la Propagande **M. C.** Vol. 2. No. 5 **M. C.** Vol. 1. No. 9.

priis, dolo malo, vi denique ipsa, Scholæ Doctores traxisse ad sui ipsorum Scholæque certam ruinam, nisi ex singulari Dei Providentia Apostolica Sedes mature intervenisset.

35. Igitur: 1° a toto hoc negotio Rector, iuxta Universitatis mentem moremque, sed omnino *contra* Decreta, Provinciæ *Episcopos* penitus *exclusit*, uno excepto Marianopolitano, quem ipse ac Concellarius suis artibus inservire magis quam consentire coegerunt. *Iuxta* Universitatis *mentem*, inquam, imo *verba ipsa* pro conditione apposita, usque ab Universitatis initiis. Huius enim Rector hæc scribebat ad Archiepiscopum Quebecensem, die 30 Martii an. 1852. " Le Séminaire met une *con-* " *dition* à son consentement; c'est qu'il demeurera, même com- " me Université, sous la *seule dépendance* de V. Grandeur et " de ses Successeurs "(*). Quid mirum, si exinde tanquam Provinciæ extranea visa est Universitas, excluso Episcoporum influxu, iique vel nihil egerint nisi compulsi, vel aliam erexerint Universitatem, ut Ottawensis Antistes, vel erigere conati fuerint, ut Marianopolitanus, qui ea plus ceteris egebat. Maiorum autem mentem et exempla Rectorem fuisse secutum, etiam post et contra Decreta, probatur testimonio, ex innumeris, solemni ipsorum Episcoporum in Concilio adunatorum et unanimiter aientium: " ils n'ont pas été consultés sur l'établissement de la Succursale à Montréal " [**H**]. Cur autem Rmi Episcopi solemni Succursalis erectioni adfuerint; et exinde existimati (ut Rector ait) eam sua præsentia cohonestare, imo approbare – quid etiam Romam scripserint in relatione conventus habiti die 27 Sept. ann. 1882– cur Marianopolitano Antistiti idem Rector nunc *permiserit* (*laisse etc.*) aliqua ad Succursalem pertinentia componere (†), nunc vero aperte obstiterit (‡), iam composita vel improbaverit

(*) Memoire de Laval. **M. C.** Vol. 2. No.2 pg. 6.

(†) Epist. Leg. Apost. Conroy, 29 Nov. 1877. **M. C.** Vol. 2. No.7 pg. 4.

(‡) Epist. Rect. Hamel, 12 Junii 1878. **M. C.** Vol. 2 No. 5. pg. 36.

vel etiam pro lubitu conculcaverit, ipso querente Episcopo, etc. etc...(*) hæc et alia plura, quin referantur aut iudicentur, præstat silentio præterire : præsertim quum omnia possint testimonio longe graviori, penitiorique scientia et sacra auctoritate prædito, plenius elucidari confirmarique (†). Nonnulla nihilominus per transennam inferius attingenda, in quantum ad dicendorum probationem opus et satis erunt.

36. 2° Longius adhuc idem Rector, quoad *Rmos Episcopos*, progredi est ausus. Quum enim *serius* de quibusdam eius actis, tanquam iniustis et contra pacta, apud eosdem in Concilio adunatos, Scholæ DDes quererentur, eumque simul de facta *interpellatione* monerent (‡); ter rescribens, (‖) ait: " Faute d'une " réponse précise, et qui me permette de marcher sans ambiguité, " je devrai comprendre que les membres de l'École qui *approuvent* " *le Mémoire* ont donné leur résignation, et je me considererai libre d'agir en conséquence... " (**) Eademque ipsa die, qua ultimam scripsit epistolam, (††) una omnes *solus arbiter* e Succursali violenter eiecit, novamque erexit!

37. 3° Quid quod non modo Episcopos, sed *Aplicum Legatum* etiam, idem Rector eludere conatus est et, ut potuit, eliminavit? Missus Roma fuerat Exmus Dnus ad plures gravesque dissensiones, quæ diu et adhuc effervescebant, sedandas, pacemque pro virili Regioni et Religioni conciliandam. In illarum numero Succursalis erigenda quum esset, Decretorum, quoad

(*) Epist. Epis. Marianop. (Fabre) 2 Martii 1878. **M. C.** Vol. 2. No 5. pg. 44.

(†) Observations de l'Evêque des Trois-Rivières sur l'inexécution du Décret. **M. C.** Vol. 2. No. 7. pg. 3 ad 10.

(‡) Epist. E. H. Trudel, M. D. Præs. Scholæ. 28 Maii 1878. **M. C.** Vol. 2. No. 5. pg. 64.

(‖) Epistolæ 3 Junii 1878. Ib. pg. 65 ; 4 Junii 1878. Ib. pg. 68. 2 Jun. 1879. Ib. pg. 81.

(**) Cit. Epist. 4 Junii Ib. pg. 68.

(††) Epist. 6 Junii 1879. Ib. pg. 86.

hanc, *executioni* invigilabat. Horum proinde spiritu non secus ac littera ductus, a sui adventus initio dixerat: " se non venisse " ad Facultates Marianopoli iam extantes dissolvendas " idemque pluries Scholæ DDbus postmodum confirmavit. (*) Liceat nunc perquam breviter præcipua, ad propositum tantum necessaria, Rectoris acta subnectere.

Is igitur, alio animatus spiritu, ab usque sui ad nos adventu primo, Facultates easdem, theologica excepta, aut excludere aut dissolvere, totis viribus ac iugiter, tentavit (†)— Medicinæ vero Professores vel alios a Schola corrogabat, sive per se sive per alios, sive occulte sive manifeste (‡); vel in ipsa Schola iuniores, ambitu captos... ad se alliciebat, fovebat, addebat animum, intestina discordia; quorum nonnulli ad se reversi, fassi sunt se fuisse deceptos (‖). Horum, ac his similium, Apost. Legatus certior factus, Rectorem *coegit*, Facultatis Professores nonnisi a Schola desumere (**)—Paruit quidem, invitus, sed ita ut propositum sibi finem assequi contenderet, imo melius – Nam, his verbis exorsus: " L'Université Laval aimerait mieux ne pas les avoir " avec elle (††) ". Professores in Succursalem cooptare nolebat nisi singulos pro lubitu, et Scholæ *corpore* dissoluto; aiebat enim hoc a Decretis omnino requiri, seque nihil aliud nisi horum executionem postulare "Les Décrets, rien que les Décrets" (‡‡): sed de hoc statim. Legatus tamen Apostolicus conditionem a Rectore appositam, iterato iussu, delevit (‖‖). Oportuit igitur iterum obedire, pro tempore, quin tamen proposito Scholæ destruendæ

(*) **M. C.** Vol. 2. No. 5. pg. 56.

(†) Ib. pg. 35 et seq.

(‡) Plaidoyer du Sénateur Trudel devant les Cardinaux à Rome 10 Jan. 1882. Septième grief. **M. C.** Vol. 1. No. 9. pg. 4.

(‖) **M. C.** Vol. 2. No. 4. pg. 5.

(**) **M. C.** Vol. 2. No. 5. pg. 35.

(††) **M. C.** Vol, 2 No. 4. pg.4.

(‡‡) Ib. pg. 6.

(‖‖) **M. C.** Vol. 2. No. 5. pg. 35.

nuncium remitteret; nisi quod *alia via* (*) erat ineunda, eique iugiter tenaciterque insistendum, per pactorum nempe futurorum compositionem, Scholæ morti æquivalentium, idque *S. Sedis* nomine et auctoritate. Quodque intendebat obtinuisset sane, nisi *ipse primus* inita demum pacta *fregisset* inexpectato ac violenter, quum scilicet, Exmo Legato absente et mox vita functo, singulos Scholæ DDes ad comitia vocavit repentina habituque impossibilia (†) (consilio ne an casu, ipse viderit), eosque absentes e Succursali eiecit, suffectis aliis, ex composito convenientibus, *suique solius* auctoritate. Exinde vero usque ad præsentem diem, haud secus ac antea, adlaborare non destitit, ut Scholam ita reiectam omni penitus sub sole vita privaret. Quemadmodum enim in prioribus pactis, sive initis cum ea contractibus, quibusdam saltem mediis, ad vitam civilem necessariis, spoliari se sinere Scholæ DDes adduxerat mira dexteritate, v. gr. iure possidendi; nec unquam ipse adduci potuit, ut probaret internam Facultatis *organizationem*, quam Rmus Marianopolitanus Antistes iure concesserat " (depuis le 15 Déc... l'Ecole... *pour* " *moi* n'existait plus, que comme simple organisation et comme " menace ") (‡): ita, inquam, ex quo Scholam reiecerat, nullum non movit lapidem, ut eam a fundamentis dirueret; idque præsertim mediantibus *Pontificiis Decretis*, aut iam extantibus aut novis etiam Roma accitis, iis tamen *specie tenus obiectis*. Quibus nihilominus ipse non solum *repugnare* (ut hactenus) perseveravit, sed etiam indecore *est abusus*, sive ea *conculcando*, sive ad præposteram, per se et per alios, trahendo *interpretationem*.

Omnia hæc licet alibi partim, pro re nata, attigerimus (nn. 17 ad 21), heic tamen plenius, forte etiam ea clarius, patebunt, si statim de *Schola simul ac Lavallensi Universitate* loquamur in eorundem Decretorum omnium *applicatione*; versus finem relictis haud sane levibus damnis, quæ ex hac, tanquam caussa, in

(*) **M. C.** Vol. 2. No. 5. pg. 62 et seq.
(†) Scholæ Epist. ad R. U. L. 11 Junii 1878. Ib. pg. 71.
(‡) Epist. Rect. Hamel 12 Junii 1878. Ib. pg. 36.

thesis enunciatione asseruntur. Opposita iuxta se posita magis elucescent, ac ita brevitati etiam consuletur.

II. et III.

Opposita Rectoris et Scholæ agendi ratio quoad Decretorum applicationem.

38. c.) Universitatis et Scholæ *spiritum*, melius quam argumenta, factorum brevis ac simplex enarratio ostendet. A 40 et amplius annis Schola, licet e protestantibus orta, statim apud ss. Præsulem Marianopolitanum Ign. Bourget, se recepit, sub eo pie prospereque vixit, adolevit, genuitque supra bis 500 catholicos medicæ disciplinæ DDes, usque ad annum 1877, quo Succursalis apud nos erat excitanda; quoque de prima loquens, Succursalem mox ingressura (iuxta Pontificia Decreta, quamvis Rectore Universitatis repugnante), Rmus Antistitis Bourget Successor hæc fatebatur solemniter " L'Ecole de Médecine de " Montréal, qui a bien mérité du Diocèse et de la Province " toute entière, à cause du dévouement de ses Professeurs, conti- „ nuera l'œuvre par laquelle elle a contribué jusqu'ici à former " tant de Médecins qui font honneur à leur profession " (Man- " dement, 22 Déc. 1877) (*).

39. Cum tali igitur *morali Corpore* Rector inire fœdus coactus est (v. n. 37.), amicus inquam an hostis? Utrumque, brevi responderi posset, quamvis hoc re, illud verbis! Seu, paucis, egit tanquam victor, sine prævio bello, cum victo, diversaque fide; omnia vero mediante apophtegmate illo sibi perquam familiari " Les Décrets, rien que les Décrets; la Charte royale, rien

(*) **M. C.** Vol. 5. No. 9. pg. 116.

" que la Charte " (•). Nam, a *contractibus* [D] (†) exorsus, nullaque habita ratione iurium præexistentium, iustitiæque, quidquid ad civilem, tum Scholæ tum singulorum Doctorum, vitam necessarium erat, et adimere potuit, ademit. Ab ecclesiastici civilisque Documenti ignaris, fidentibusque asserenti, postulavit, imo vero utriusque nomine et auctoritate *iussit*, bonorum Scholæ administrationem in Episcopi transferri manus (art.1.). Schola paruit.— *Iussit* iterum dominium ipsum mobilium immobiliumque, præsentium ac futurorum, eidem omnino relinqui ! Hærebant, his auditis, Scholæ DDes, oculos in iubentem audientesque vertebant, sed quoniam urgebatur verbis illis " la Charte, rien que la Charte ", iterum paruerunt – *Iussit* tertio, non modo res sed Professores ipsos esse Universitatis arbitrio relinquendos et *ad nutum* revocandos, iuxta Universitatis leges (art. 3); nihilque suspicati eorum quæ D. Landry sibique ipsis forent eventura, paruerunt tertio — Eadem reddita ratione, *iussit* ulterius, Decanos (quorum ordinem iniuste turbavit) esse tantummodo consulendos quoad ceterorum electionem. Hos autem *bona fide*, et iure, putabatur esse e Scholæ gremio sumendos; nam Legato iubente, ut Corpus ingressa hæc fuerat, eademque die idipsum cum Rmo Episcopo, contractum iniens, composuerat (v. Entente [D] art. 3.). Paruere itaque improvidi, nil morati. Huius veluti obedientiæ remunerator, *verbis* quidem concessit petentibus non sine caussa, annuum prælectionum tempus *sex mensium* spatio concludi, iuxta Scholæ et totius Provinciæ morem ; idque per biennium tantum, eodemque ceteroquin, ac Universitas solet, lectionum numero tradendarum (art. 4.). Gratias egerunt DDes, iure arbitrati, paciscentem pacta saltem scripto exarata servaturum ; spem tamen quoad utrumque fefellit eventus ! (v. infra n. 40). Ultimo tandem loco, apophtegmate in iudicis formulam, arte sibi propria, immutato ac evoluto, ad consulendum futuris eventibus ; solemniter *iussit sanxitque* " *En résumé, toutes*

(†) **M. C.** Vol. 2. No. 4 pg. 6.

(‡) **M. C.** Vol. 5. No. 15. pg. 77.

" *les conditions* renfermées dans la décision de la S. Congr. de " la Propagande, du 1 Février 1876, seront observées " (Art. 5.). Quibus, tanquam S. Sedis oraculis, Scholæ DDes religiose annuerunt; ac ita fœdus ictum, seu potius icta innocens libensque victima! " *Accepté* au nom du Cons. Universitaire. *Signé.* Th. " Hamel &c. "

40. Crederes, hæc satis superque esse sacrificanti...! At, victima spirat adhuc et aliqua solis luce fruitur: omnis ergo vitæ halitus extinguendus, vel iteratis ictibus, vel dilatatis vulneribus, per quæ virus (mortis futuræ germen) fuerat infusum contractu, quem, alio sane ac morali sensu, diceres innominatum, nec nominandum. Arma vero futurorum facinorum semper eadem: Decreta, Regia Charta, quævis Universitatis lex —("Les " Décrets, rien que les Décrets; la Charte, rien que la Charte; " *tous* les règlements Universitaires ") [D art. 3]; *re tamen*, ex-lex sacrificantis voluntas, ac longe aliud quam promissorum fides, aut rerum, ut sese habent veritas, iuxta Evangelicam legem: " est est, non non " (Iacob. 5. 12.). Liceat, quæso, aliquando et hanc obliviscentibus commemorare, et Domini ipsius nonnunquam durius loquentis exemplum sequi, si quando non modo veritas et iustitia, sed simul debitus Suæ Sponsæ honor, natorum ac populi christiani salus in discrimen vocantur! Quorsum ius habenti occultare quæ sunt populo notissima?

Ne vero cuivis per calumniam (quod Deus avertat), crimen inferamus, coram supremo ipso in terris tribunali, nonnulla e longe pluribus facta præstat innuere, extra omnem dubitationis aleam posita.

Eadem die qua Rector, Marianopolitanus Antistes contractum cum Schola inierat, quo huic relinquebatur aliquod *moralis corporis simulacrum*, idque solum ad tempus, nulla ratione habita Scholæ onerum! (v. art. 1. 2.). Vel hic ultimus vitæ anhelitus Rectorem compulit ad scribendum " Je sais bien que l'E- " cole a obtenu de conserver son organisation intérieure, par un

" contrat privé avec Mgr. de Montréal... depuis le 15 Décembre " dernier, date de la signature des conditions de l'Université " Laval, *je n'ai plus eu d'affaire* avec l'Ecole de Médecine et de " Chirurgie de Montréal, laquelle *pour moi* n'existait plus que " comme simple organisation et comme *menace*" (Epist. 12 Iun. 1878) (*). Hæc ille: qui tamen, die 6 Januarii eiusdem anni 1878, Scholam eandem solemniter in Succursalem cooptaverat! Qua, quæso, ratione viri facta dictaque conciliantur? nisi forte hæc iterum probent, eumdem *specie tenus non re* Aplico Legato et Episcopo paruisse. Idem Episcopus, post Legati Pontificii voluntatem, scripto cum Schola, et hæc viva voce cum Rectore, composuerat, omnes Facultatis Professores in Succursalem ingressuros, ordine quodam servato. Crederes? vix uno alterove mense evoluto, tantus vir iussa promissaque conculcavit, discordiæ pomum inter ipsos Scholæ DDes proiecit, omnia sus deque ita vertit, ipso Episcopo inscio et contempto, ut hic querentibus DDbus rescripserit " J'avais toute raison de croire, que rien ne se " ferait sans m'être communiqué, même pour ce détail. Il est très- " fâcheux, que l'on ait cru pouvoir *passer outre*, et que l'on n'y " ait *pas même songé*". (Epist. ad Sch. DDes, 2 Mart. 1878.).

Nec satis. Ipsemet in contractu sua manu obsignato spoponderat, quod supra innuimus, anni nempe curriculum sex mensium spatio contineri, solummodo per biennium, idque necessitatis gratia ab *eodem recognitæ*. Quid ille? Haud secus ac si conventio scripto exarata nihil esset, eandem paucos post menses, absque ullo prævio monitu et causa, publice violare ausus est, in provinciæ totius ephemeridibus!

41. His atque horum similibus attoniti, fatigati, pertæsi recentis Succursalis Professores, quin ad publicam, ut aiunt, opinionem vel ad tribunalia appellarent, nil viris catholico nomine dignis Sanctæque Sedi addictissimis aptius duxerunt, quam tum ad Marianopolitanum tum ad ceteros Provinciæ Epi-

(*) M. C. Vol. 2 No. 5. pg. 36.

scopos confugere, iuxta Decretum; deque tot acceptis iniuriis tanquam natos apud parentes conqueri (*): eodemque tempore de interpellatione peracta Rectorem monuerunt (†). Ne nimii simus, neve tot ingrata (ut minus dicam) per singula recenseantur, Rmor. Epsicoporum, seu potius Archiepiscopi agmen ducentis responsum fuit " NN. SS. les EEv... ont été unanimes à " dire avec moi que le règlement de ces difficultés n'entre point " dans les attributions du Conseil Supérieur..." (Ep. ad Præs. Trudel, 27 Mai. 1878) (‡). Ultimum vero Rectoris *edictum*, potius quam epistola vel canonica Universitatis sententia (quæ reos ante audire tenebatur) (‖), una omnes ex huius gremio eiecit, in hæc verba. " Je suis autorisé par le Conseil Universitaire à " vous déclarer, que vous ne pouvez plus être, et que vous n'êtes " plus Professeurs à l'Université Laval..." (**). Quo demum ictu victima e fano eiecta.

42. Verum, etiam sic, vivere adhuc poterat, imo sperabat, ex ultimis Rectoris verbis, aientis " Si la Providence (!) le " permet, vous aurez en nous des *émules*, mais non des *ennemis* ". Vana spes... græca fides! Dum enim Schola sibi relicta vel hærebat, vel cogitabat Supremum adire tribunal, quod reliquum erat, si Aplicis Decretis mallet adhuc adhærere; Rector ei *media ad vitam* septies lustralem multimodis, hic et Romæ, conabatur adimere; inter quæ ius ad Nosocomium (post denegatam toties affiliationem catholicam); brevi, ipsam civilem vitam! Cetera aliunde nota libenter missa fiunt, usque ad tempus, quo vitam utram-

(*) Epist. Scholæ ac Episc. Marian. Mart. 1878. **M. C.** Vol. 6. No. 1. pg. 21; alia ad Episcopos Prov. 21 Maii 1878. Ib. p. 26.

(†) Epist. D. Hamel. R. U. L. 24 Maii 1878; Epist. Scholæ 28 Maii 1878. **M. C.** Vol. 6. No. 1. pp. 32. 33.

(‡) **M. C.** Vol. 6. No. 1. pg. 31.

(‖) V. Maupied T. 2, L. X, c. 3, § 4, VII.

(**) Epist. 6 Junii 1879. **M. C.** Vol. 6. No. 1 pg. 47; et Vol. 2. No. 5. pg. 86. Cfr. alias eiusdem plures Epist. eodem fere tempore.

que contra agressorem tueri Schola coacta fuit, Romæ et Londini. Quisnam, quæso, post hæc, illam hoc iure privare ausus esset, præsertim quum in eius sinu non deerant, multoque plures foris aderant vel catholici iuris periti, qui eam ad civile forum urgebant, vel acatholici, qui etiam male ominatos triumphos promittebant, turbulentiores quam quos hic et in Anglia nostræ Religionis hostes egerunt in causa famosi *Guiberd?* Ab his tamen omnibus Schola abstinuit, abhorruit imo, malui [illegible] e suis unum Romam Londinumque sine strepitu mittere, (12 Nov. 1879) qui magnis itineribus impensisque (12,000 fr.), Urbem utramque peteret, ad germanum Decreti Aplici Regiæque Chartæ sensum probe noscendum suumque ius defendendum, si forte adeo obiecta utriusque *interpretatio* ac immisericors *applicatio* a vero rectoque aberrarent.

43. Tum multa, quoad hæc, hinc inde scripta, ut apte illud huc advocari posset: inopem me copia fecit. Plura itaque præstat heic missa facere, tum quia volenti præsto sunt t[illegible]s impressa (*), tum maxime quia post dicta pronum est i[illegible] quod usque ab huius thesis initio asseruimus: Ex parte scilicet *Universitatis*, Documenti utriusque *abusum—conculcationem—interpretationem præposteram—subreptionem, obreptionemque* — Ex parte vero *Scholæ*, catholicorum sane virorum *religionem* simul ac suorum *iurium* tutelam validiorem, post fidem bonam totiesque deceptam—legitimum denique recursum seu *appellationem* ad ecclesiasticum tribunal, civili, ad quod ius habebant (urge-

(*) V. præsertim " Mémoire aux EE. Cardinaux de la Propagande, 2 Feb. 1880, **M. C.** Vol. 2. No. 5; Observations de l'Ev. des Trois-Riv. etc., Oct. 1882, **M. C.** Vol. 2. No. 7; Cfr. Questions sur la Succursale, par ordre de l'Univ. Lav. 4 Mai 1881. **M. C.** Vol. 6. No. 3; Reponse à l'Un. L. 17 Mai 1881. Ib. No. 4; Réplique aux plaidoyers de MM. Hamel et Lacoste – 25 Sept. 1881. Ib. No. 9; Plaidoyer de l'avocat et procureur de l'Ecole etc. devant la S. C. de la Propag. Rome, 10 Janv. 1882. **M. C.** Vol. 1. No 9. etc., etc.

banturque ab ipsis irridentibus per ephemerides adversariis), sponte dimisso; idque ad *scandala* ac Religionis damna vitanda.

Nam, si a Decretis, ut par est, incipiamus " Les Décrets, rien que les Décrets ", liceat victimæ adhuc spiranti ita facile, post dicta, ratiocinari:

Decretum primum *thetice* et *formaliter* spectatum, scilicet *ut est* quoad spiritum et litteram, in prima et potiore sui parte, *duo* hæc, quoad Scholam, *iubet* præcipue: 1° huius in Succursalem *ingressum*—2° Rmis Episcopis Provinciæ *curantibus*. (V. primam Decreti partem [A] et n. 26 ad 31). Atqui duobus his Universitas, sensu et re, obstitit perpetuo... (n. 32 ad 37.). Ergo... S. Sedis Decretum perpetuo et publice, *conculcavit!*

Iterum: Decretum idem, *ut est*, in altera sui parte, *nihil eorum iubet*, quibus Universitatis Rector, Decreti nomine, Scholam credulam parere iussit initis in contractibus. Ubinam, quæso, Decretum iubet, civilem vitam, bonorum suorum dominium, curationem... brevi, *iura præextistentia* a Schola auferri?—Ad fundamentalia Universitatis, Rector ait, hæc spectant, iisque sunt immolanda—Esto, si placet, respondeo, quoad Quebecenses Professores, qui nonnisi beneficio fruuntur, arbitrio Universitatis electi, neque canonice de *Seminarii* bonis disponere valent, neque civiliter de alienis. At, si sermo sit de *Scholæ* bonis ac iuribus, ne quæso, Decreti *abusui*, Apostolicæ Sedi turpem superaddas *iniuriam*! ac si Ea, quæ est vivens recti norma, omnem morum doctrinam iustitiamque pessumdet, in Quebecensis Universitatis utilitatem, ut minus dicam!

Iterum: Decretum, ut est, in utraque sui parte, *alia* sane, imo *contradictoria* et *contraria iubet* ac Rector, qui nedum Aplico Legato et Episcopo Marianopolitano, sed ne sibi quidem est consentiens. Nam Decretum iubet iustitiam servari, de Universitate loquens: num conculcanda, quum de Schola sermo est? Iubet, facultates præexistentes in Succursalem ingredi (*le dette Scuole... non si presenta altro espediente...*). Hinc Legatus imperat, Scholam ingredi ut Corpus; Episcopus vero Professores omnes admit-

ti. Numquid aliter Rectori agere, pacisci, imperare licet?—Iubet Diœcesim totam *onus* Succursalis laturam (art. 1.). Num hoc significat illam, eoque magis *Quebecencem* Universitatem evasuras rei alienæ, gratisque, dominas? Vel forte huius præcepti sensus ille est, qui *solus* datus est ut genuinus ab Universitatis patronis [H]: *extraneos* nempe *non prohiberi* in Succursalis sinum fortunas totas, etiam non suas profundere, v. gr. 4or vel 500,000 scutatorum (*)? Dictu mirum!—Iubet ne Decretum (si ita loqui fas est) an contra *alte improbat*, cum mitibus fidentibusque dure versuteque agere, eos typis lacessere per se vel per suos (†), laqueis capere, ne dicam mentiri (v. art 2. contract. cum Schola, et infra, n. 49. [D]), scripta denique pacta brevi, se primum ac sine causa, violare?... Nonne hæc aliaque patravit Rector, eaque semper Decreti, imo Decretorum nomine?! Quid autem hæc sunt isi horum turpissimus abusus, conculcatio, interpretatio præpostera, fides græcorum more servata? Quo nomine donanda illa, quæ supra enarravimus (n. 40... 43.), quæque exinde hucusque heic, Quebeci et Romæ, dicta actaque sunt? Ne simus infiniti, suntne ea, quæso " *En résumé* toutes les conditions ren- " fermées dans les décisions de la Sacrée Congrégation de la " Propagande du 1 Février 1876 ", quæ Rector iusserat servari, quum fœdus primo cum Schola feriit?

44. Sed ad *Decretum* properemus spectatum *hypothetice*, h. e. quale certe fuisset datum Romæ, si S. Congregationem Universitas non celasset quæ erant aperienda, sique, ut erat omnino expectandum, vera narrasset: paucis, si *subreptio obreptioque* locum non habuissent.

Fatendum imprimis, hæc et sequentia nedum magis acerba et audacia videri posse quam quæ præcesserunt, sed etiam ea au-

(*) Cfr. petitionem Romæ missam bonorum Soc. Jesu.

(†) V. Epistolas Rectoris ad Scholam ann. 1877, 1878; libellos D. Chandonnet, Questions sur la Succursale... par ordre de l'U. L.; articulos DD. Rottot, Lachapelle etc.

dentem per maxime salebrosum iter invitum trahere. Nihilominus, de rebus agitur, pro quibus catholicus quisque vel vitam fundere paratus esse debet; totaque animi sinceritate ac demissione, ut par est, quæ hic notissima sunt, subiciuntur Iudici, qui solus paterne simul et sapienter novit ac vult regionis Religionisque damnis prospicere. Maior itaque ab Eo loquendi libertas suppliciter petitur.

45. Decretum hoc primum, non secus ac duo posteriora, sub duplici tempore consideranda veniunt; *antequam* scilicet et *postquam* emanarent. Sub primo, Universitas longe ante, ac pluries, per semetipsam suosque, hic et Romæ, nihil intentatum reliquit, ut Marianopoli Succursalis erigeretur: non quidem, inquam, eo tempore, quo nulla adhuc spes affulgebat Marianopolitanæ Universitatis obtinendæ; quam tamen, a suæ vitæ exordio, Lavallensis sæpius promiserat, permiserat nunquam. Donec enim speravit, se solam sub Canadensi luce victuram, quin aliquid unquam nostris Facultatibus largiretur, Quebeci ei erat sistendum. Quum vero intellexit, Romam inclinare Marianopolim versus (*), in urbis principis et frequentissimæ nostræ iuventutis favorem, sibi relictæ vel apud protestantes confugientis (quotannis fere 500!); tunc, mutanda est sententia, ac Marianopolim eundum. Postquam scilicet pro aris et focis frustra certasset, Succursalem quamdam, ingenio ferax, sibimet effinxit, notisque artibus hic et Romæ proposuit (†); talem nempe, quæ non modo spem omnem futuræ Universitatis Marianopolitanæ, verum etiam hic præexistentes Facultates, si fieri posset, perimeret, vel certe sibi, suæ doctrinæ, suis finibus... lapsu temporis et arte, penitus devoveret. Quidnon audentes possunt? eosque ali-

(*) Annis 1872 — 1874. Ex. gr. V. Epist. Card. Franchi **M.C.** Vol. 2. No. 5 pg.152, vel in Doc. [**E**].

(†) Quelques remarques sur l'Université Laval (1 Factum de Laval) Nov. 1872— **M. C.** Vol. 5. No. 2. pg. 5; Vid. insuper Plaidoyer de M. Hamel, 20 Maii 1881. **M. C.** Vol. 6. No. 7. pg. 25.

quando, Deo permittente, fortuna, si qua est, iuvat. Gaudeant et utantur, si libet.

46. Ad hæc, quæ gravissima sane sunt, rite probanda, duo liceat, satisque sit, in memoriam revocare, *facta*, quæ ita sunt extra omnem dubitationis aleam, ut valeant etiam sacramenti religione confirmari : quanquam, quid hoc est opus, quum vel regionis totius diariis publicis illius temporis, vel Provinciæ Episcoporum omnium adhuc viventium testimonio probantur ?

Anno 1872, Rmus Antistes Bourget a Canadensi Gubernio facultatem erigendæ Universitatis postulabat, Roma tunc nedum non contradicente, imo vero per Emum Card. Barnabò favente, qui paullo ante tres proposuerat Episcopo quæstiones, ab hæc scribente perlectas (*), spectantesque ad optatæ Universitatis dignitatem securitatemque. Quid non tentavit Lav. Universitas eiusque Rector (R. D. Th. Hamel) ? itus, reditus, ambitus ad vota captanda, suorum ephemerides, minaces litteras, casus etiam conscientiæ, qui famosos Gallicos casus, religiosum veterem recentemque politicum, in memoriam sponte revocabant..! in primis vero potentes patronos binos, alterum sacris, alterum civilibus gubernii rebus præpositum (†). Sed omnia incassum, numerus enim adversantium Deputatorum crescebat in dies...—Quid tunc Universitas Lavallensis? Perinde ac si Episcopus quod petebat assequi nequiret, quin cam perimeret (V. inferius n. 50), quodque peius, quin S. Sedis Decretis rebellis foret ; statim per Cancellarium telegramma Romam misit, insidiose quærens " 1° Décrets sur l'Université Laval sont-ils ré- " voqués? – 2° Evêque Bourget peut-il s'adresser au Parlement " avant révocation formelle? „ (‡) –In quo, ceteris nunc missis,

(*) Consul Archiv. Ep. et Rm. Ep. Bourget.

(†) Archiep. Taschereau et D. Chauveau, tunc Minister Gubernii Canadensis.

(‡) **M. C.** Vol. 5. No. 3. pg. 45—47, et 31—33. Ib. No. 4. pg. 12. No.4 bis pg. 3 – 11. No. 5. pg. 80—82. **M. C.** Vol. 6. No. 7. pg. 26.

duo supponere oportet, quæ falsa sunt; h. e. 1° Episcopum *contendisse*, S. Sedis Decreta fuisse revocata – 2° ea *conciliari* non posse cum eiusdem ponderis documentis ab eodem, paucis ante diebus, in epistola ad Archiepiscopum productis (de quibus ne verbum quidem in telegrammate), quorum auctoritate rite ac tuto valeret Universitatem Marianopolitanam a Legislatoribus postulare. Quare, si duo quæsita obvio sumantur sensu, sed ad errorem ducente, ac bina admittantur vel negligantur supposita; quisnam, quæso, non putaret hic agi de summa rei; de Episcopo nempe audacter Romana decreta (nescio quæ) oppugnante, Universitatis perniciem, in horum contemptum, moliente, coram universo populo; idque ita, ut periculum sit in mora ni statim præcaveatur! Ita sane Romæ res intellecta ac credita; nil ergo mirum, si statim responsum, pro votis, fuit " Négativement aux deux demandes : explications par lettre ". Quæ per epistolam explicatio adhuc ignota manet! Quid porro? Ingemuere prela, una ubique audita est vox: Roma loquuta est, causa finita est. Argumentum sane præclarum, tum populi Canadensis religionis, tum maximæ ss. Episcopi Bourget animi magnitudinis, qui tot auctor altorque illustrium rerum, licet pro hac cordi carissima diu multumque in iuventutis favorem, ut leo, certaverit; ad Romæ tamen, quamvis deceptæ, vocem in agnum mutatus (per eosdem aliquando immolandum!) animum mentemque primus inclinavit ac, indecore victus, sui pulcre victor, manus dare victas maluit quam pugnam instaurare! Ad tanti Viri exemplum, horum scriptor fatetur, se quoque tunc decertantem, statim supersedisse, nec dubitasse vel ad momentum de prohibentium Romanorum Decretorum veritate; donec serius compertum est, omnes fuisse non veritate victos sed laqueo captos..! *Tria* enim, ad illud usque tempus, Decreta, seu melius Indulta, Roma prodierant. Primum 6 Martii 1853 (*), quo permissum est Archiepiscopo Quebecensi " lauream doctoralem et gradus in sacra Theologia conferre " merentibus in suo

(‡) **M. C.** Vol. 5. No. 20. pg. 4.

Seminario levitis. Numquid Indultum hoc Univ. Marianopolitanæ obstare dicendum? Alterum (*), datum die 28 Martii 1865, quo tempore " actum est de petitione Episcopi Marianopolitani " pro novæ Universitatis creatione, ac iudicatum fuit: *Non* " *expedire* ". An hoc significat *nunquam* expedire? Præsertim quum: a) una cum hac responsione Episcopo nuntiatum fuerit, eum *posse* petitionem eandem serius iterare, sub quibusdam adiunctis...b). Imo vero, his advenientibus, *debere*; Emo S. Congr. Præfecto promittente, se eundem Episcopum adiuturum apud S. ipsum Pontificem... c). Imo adhuc, quum et Emus idem, ut diximus, egerit cum Episcopo de conditionibus requisitis ad novam erigendam Universitatem; et post ipsum, Emus Card. Franchi (anno 74.) schema etiam duplicis Universitatis miserit ad Archiep. Quebecensem. Num, his stantibus, tali Decreto Episcopus rebellis dicendus est? vel, si qua forte de his dubitatio animum sollicitat, curnam nihil horum telegramma quærit, quæ hoc mittenti Episcopus scribens paucis ante diebus, affirmaverat, in epistola de qua supra, et omnino legenda [R] (†)? Tertium (‡) denique, non Decretum sed per epistolam responsum, eodem anno 1865 datum ad Archiepiscopum ab Emo S. Congr. Præfecto, abs re est et extra quæstionem. Præter enim quam quod: a) mox dicta in casu applicari *possint* et *debeant* – b) non de Universitate Marianopolitana in eo sermo est, sed de " *affiliatione* " iuris et medicinæ in eadem civitate existentium ": vel de propositionibus quæ ad id pene reducuntur — c) quibus propositionibus Emus negat ,, assentiri *modo* posse " —d) idque fidens, ut par erat, Archiepiscopo et Rectori " *plene convenientibus* " (quid mirum!) in asserendis, tum vitæ discrimine Lavallensis Universitatis, si quid concederetur, tum faciliori exinde ad eam aditu nostrorum studentium iuris et medicinæ, conditione quadam sublata, quæ prius viguerat... Quæ tamen duo a

(*) **M. C.** Vol. 5. No. 2. pg. 3.

(†) Epist. Episc. Bourget. 21 Nov. 1872. **M. C.** Vol. 5. No. 3. pg. 31.

(‡) Epist. Card. Barnabò 17 Aug. 1865. **M. C.** Vol. 5. No. 2. pg. 4.

vero abludunt (v. infra n. 50), nec sane conveniunt, cum sententia Canadensis Episcopatus illius temporis [6] (*). En tandem quæ sint " Les Décrets sur Laval " quibus Marianopolitanus Episcopus rebellis, per telegramma, aut supponitur aut adsignificatur! Num erat quærendum an sint revocata? Num exigenda huiusmodi Decretorum *formalis* revocatio? Nonne hæc altera quæstionem primam (saltem ambiguam) inutilem reddit? Nonne brevius et clarius quæri sic poterat: " Evêque Bourget demande au Parlement son Université. A-t-il permission de Rome? " Sed Romana fides et nostra erant laqueo capiendæ, per perpetuam Decretorum iactantiam! Quo vero nomine sint donandæ artes eiusmodi, quove detrimento adhibitæ, non Lavallensis modo, sed Archiepiscopalis quoque dignitatis, atque utinam non etiam Romanæ! lectori quantumvis benevolo decernendum relinquitur. Propositum tamen finem per hæc media Lav. Universitas est consecuta, idque ei sufficere visum est.

47. At, erunt ne hæc renovanda, vel satis in posterum? Id ea probe intellexit, nec non illud aliquando futurum, ut Roma vellet, nostræ iuventutis damnis Urbisque consulere. Obviam igitur eundum, mutanda sententia, modusque alius excogitandus absque mora, quo Marianopolitana emancipatio præpediatur, monopolium Quebecense perseveret iugiter, victæque urbi dominetur. In hac itaque, *Succursalis Lavallensis* nomine, sedem figat. Re quidem vera, pluries de hac Universitatis Rector fuerat locutus (*); at præsertim ab anno 1872, post trepidi certaminis exitum, eam urgere cœpit, versusque anni finem ad Provinciæ Episcopos se contulit in Concilium coactos, quorum sub oculos schema quoddam Succursalis exhibuit non absimile, ne dicam simillimum ei, quod postea Romam probandum misit; simulque Episcopos rogavit, ut suis iure magni ponderis suffragiis,

(*) **M. C.** Vol. 1. No. 1 per totum præsertim pg. 16. et præcedentem Episcoporum opinionem quæ causa fuit " des conférences de St. Hyacinthe."

(*) V. gr. Oct. 1870 **M. C.** Vol. 5. No 2. pg. 5.

petitionem a S. Congr. de Prop. Fide, communirent. Collatis consiliis, Rmi Patres schema propositum unanimes *reiecerunt*, multis de causis, quarum heic una sufficiat, quod aperte videbatur factu impossibile, quin multimodis in iustitiam peccaret. Eventus, ex tot supra disputatis, rem probavit, et Universitas ipsa, ex inferius dicendis, probabit adhuc. Neque forte abs re erit hic commemorare, Succursalis huiusmodi schema esse a totius Britannici imperii moribus et usu remotum [L] (*); imo vero reiectum [M] (†). Cum enim nuperrime aliquid simile fuerit Londini anglicis Scholis, Collegiis, Lyceis, Academiis etc. propositum, una cum gradibus magnisque Universitatum privilegiis; una omnium voce, catholicorum æque ac protestantium, cum privilegiis schema amandatum est tanquam monopolium sapiens: idemque omnino accidit, 10 fere abhinc annis, in fœderatis Americæ statibus, quamvis utrobique rerum proprietas et administratio, dominis ut sacra relinquebatur. Exemplum, hercle, non indignum catholicæ Universitatis Rectoris imitatione.

48. Qui tamen, Episcoporum repulsa, pluries accepta, non territus, non dubitavit serius, iis nedum *inconsultis* sed *insciis*, schema suum Romam mittere, ut probaretur tanquam inter possibilia unicum! Quinimo, schema aliud S. Congregationis nomine, ab Emo Card. Franchi f. m. propositum Episcopis Provinciæ per epistolam omnino legendam [E] (‡), duplicis nempe Universitatis sub uno eodemque supremo Consilio etc., illud, inquam, Rector effecit ut penitus seponeretur, mediante Archiepiscopo Quebecensi! Cur, quomodo hæc Romæ acciderint, arcana res est, nec nostrum est perscrutari aut inquirere. Hoc unum novimus (ac supremæ liceat Auctoritati referre), quod

(*) Etude légale etc T. L. Archambault. 1880. M. C. Vol. 5· No 25.

(†) Opinion de Sir Farrer Herschell. M. C. Vol. 5. No 26.
Epist. Earl of Kimberley, Ministr. Colon. 20 Jan. 1881. M. C. Vol. 6. No. 1. pg. 100.

(‡) Epist. Card. Franchi. 28 Jul. 1874. M. C. Vol 2. No. 5. pg. 152.

heic omnium amicorum inimicorumque Lavallensis Universitatis fert undique fama insidetque animis; eam scilicet sæpius Romam misisse, iussisse etiam inibi diu immorari homines, quos *proxenetas* Universitatis quidve peius vocant, quique ipsi hic et Romæ iactant, se quidquid ab ea desideratur consequi facile posse... Hinc est quod iterum plurimorum S. Sedi addictorum erexit, refecit, recreavit animos responsum a Roma datum anno proxime elapso, quum post telegramma " Suspende omnia " Universitas, eadem via, rescripsit se duos e suis statim missuram ad res componendas! Cui, ut fertur, responsum fuit, romano nomine dignum " Stent "; nec multo post S. Sedis Legatus missus exceptusque est a gestiente et plaudente catholico populo.

49. Sed ad Decreta redeundum, Succursalem fore iuxta propositum schema erigentia firmantiaque (ut iactatur), ac ab Universitatis Rectore ad *opus deducta.* De quibus perpauca et cum debito eis honore dicemus a). Decretum 1° (biennio post promulgatum, ignota ex causa) Succursalem creat, ut *unicum expediens.* Verum, Universitatis Rector : *mente* ac *verbis* Decreto sibique ipsi contradicit; *opere* autem Succursalem iniustam, absurdam suo marte creat, falso assumptis Decreti nomine et auctoritate. *Mente* quidem ac *verbis*; nam per Decretum Succursalis Facultas et affiliata *differunt,* ait Rector, quum agitur de Marianopolitanis Facultatibus perimendis; sunt vero *unum idemque,* quum sermo est de iure solis affiliatis a lege tributo. " Affiliation et Succursale sont la même chose; c'est jouer sur " les mots que prétendre le contraire " (*)... Cur igitur affiliationem Scholæ nunquam concedere voluit? Quid tandem Romam detulit, ex quo Decretum assereret " *essendo evidente l'impossibilità ... di concedere l'affiliazione?* *Opere* autem, nam quum Decretum loquatur de præexistentibus apud nos Facultatibus: vel harum iura Rector aperuit Romæ, vel non; si hoc, cur tacuit? si primum cur ea conculcavit? Nisi id velit in ipsam S.

(*) M. C. Vol. 2. No. 5. pg. 130, 131.

Sedem reiicere, vel earum ius negare ad Succursalem, vel utrumque: utrumque fecit, diu ac solemniter, per se ac per alios...! Exemplo sit contractus cum Schola initus (15 Dec. 1876), de quo supra licet multa diximus (nn. 39. 40.), nonnulla tamen quæ huc spectant non sunt prætereunda. [D] (art. 2) hæc habet " La Faculté de Médecine, *de même que les Facultés de Théologie* " de *Droit* et des *Arts*... mêmes ". Iamvero, an hæc vera sunt, an iusta, iuxtaque Decretum ? " de *même* que la Fac. de *Théol.* " ! contrarium asseruit, et debebat, Superior Seminarii S. Sulpitii — " de *même*... de *droit* " ! Contrarium asseruisset Rector Coll. S. J., et iure, si hæc pacta novisset. Verum, dum S. Sedis Legatus cum hoc rem agebat, Universitatis Rector absurdas, consilio, addebat conditiones, (*) aliamque interea clam parabat, cum suis, tum iuris facultatem tum Pontificii Decreti executionem...! " De *même*... et *des arts* ". Quæ facultatas non secus ac moralis philosophia, desiderantur adhuc Quebeci, post 6 vitæ lustra ! En novi generis contractum, en Rectoris Succursalem, S. Sedis nomine Marianopoli erectam. " Les Décrets, rien que les Décrets " ! Ubi quæso, in his omnibus veritas, ubi honestas, ubi Rectoris, Sacerdotis, Vicarii generalis dignitas ? Atque adeo, quod pluris est, ubi scientia vel obedientia nedum Decreto sed et Tridendino et canonibus de Seminariorum ac Religiosorum bonis ? Ubi demum S. Sedis honor, cui hæc omnia tanquam auctori attribuuntur coram catholico populo, et pactorum fide obsignantur...? Poterant ne paucioribus tam multa includi, sus deque verti, pedibus conculcari ? Fecit tamen vir tantus per contractum, modo quo supra vidimus, imperatum, sua manu signatum, brevi tamen ab eodem violandum ! Succursalem erexit, S. Sedis nomine et totius Provinciæ Episcopis contradicentibus, [F] (†) talem, quæ per tot annos tantorum esset causa malorum futura !

(*) V. Litteras ad Rectorem S. J. Archiv. Coll. Stæ. Mar. Marianop. et M. C. Vol. 6. No 8 bis. pp. 54. 56.

(†) V. Inter alia Epist. Episc. Fabre. 3 Sep. 1876. M. C. Vol. 2. No. 4. pg. 2.

50. b) " *Un Università a Monreale... comprometterebbe l'esistenza dell' Università Laval...* " — En multiplex obreptio simul, subreptio ac contradictio Lavallensis Universitatis hæc dictitantis. Si enim ita esset, ea periret vel *alumnorum* numero deficiente, vel *fortunæ bonis*. Neutrum dici potest. Nam 1° septentrionalis regionis iuventus Quebeci consistet, australis Marianopoli, pluribus de causis ab hominum libertate solutis, et ultra 30 annorum experientia comprobatis luculenter, vel ex ipsis Universitatis annuis catalogis, simul testantibus tum Universitatis dicta veritate carentia, tum irritos Episcopum, præsertim Marianopolitani, conatus ad iuvenes Quebecum versus urgendos.— 2° Lavallense veluti axioma ab initio fuit (verum et ex animo necné, nostra non refert): frequentiorem alumnorum numerum eorundem educationi nocere ! quem proinde, sæpe nec sine causa, aiebat se nolle ultra centenum fere prætergredi " ne *monopolii* etiam insimuletur " (*). Iamvero, quærere liceat : nonne hucusque voti compos evasit, evadetque in posterum proculdubio ? — quid autem agendum de 4 vel 5 centenis reliquis, iisque catholicis, alumnis, qui vel nequeunt vel nolunt Quebecum pergere, neque desiderantur ab ipsa Universitate, si illi credas ? — Cur Marianopolitana hos excipere non poterit catholicequc edocere, quin alteri noceat? — Quod si Succursalis eos adunare debet, cur *post Decretum* immensa ædificii moles a fundamentis excitatur Quebeci ?— Vel si hæc, mutato iterum consilio, est adeunda et sufficiens, ad quid Succursalis Marianopoli ; præsertim si nostra iuventus *potest* adhuc ac *debet* Quebecum pergere, ut diu ac falso Lav. Universitas Romæ affirmaverat? Cur Marianopolitanis iuventutis cultoribus, incolis locique dominis, illud iudicitur " veteres migrate coloni " ? Num maxima iuventutis nostræ celebritas, quæ nocebat Quebeci, hic Lavallensi Universitati favebit? Ita ne *monopolii* vi-

(*) Epist. Rectoris L. U. 4 Iun. 1859. **M. C.** Vol. 2. No. 2. p. 52. et Epist. Arch. Queb. 27 April. 1852. Ib. pg. 7 ; **M. C.** Vol. 5. No. 3. pg. 9. Cfr. Epist. Arch. Bourget 11 Ian. 1882. **M. C.** Vol. 6. No. 9. pg. 186.

tandi nota removetur ...? 3° Quid quod, post primi Quebecensis Concilii Decretum XVIII, ac XII tertii (in quibus sermo est de *Universitatibus* erigendis) Lavallenses Rectores pluries, voce et scripto, *promiserunt* (*); se nedum permissuros, sed et auxilium Romæ nobis serius laturos, ad nostram quoque Universitatem consequendam? Curnam, quanamve ratione effecere, ut quod hic promiserant, idipsum, eodemque tempore, Romæ *impossibile* affirment, suadeant; talemque hic constituant Succursalem, quæ si perseveret, nunquam Marianopolim sinet sua, diuque promissa, frui Universitate?

51. Quod vero ad periculum spectat *Lavallensis fortunæ* vel amittendæ vel minuendæ, ex novæ Universitatis erectione; quis, quæso, in toto Canadensi populo, aut dicat aut credat, Quebecensis Seminarii bona, hac de causa, in discrimen vocari? *Nemo unus*, quod novimus, nec ipse Universitatis Rector, qui licet hæc venditet (†), *verbis* ipsis ac *factis* sibimet, de more contradicit — 1° enim, cuique apertissimum est, Quebecense Seminarium ab initio fuisse, et adhuc esse non quidem doctrinæ integritate (de qua mox nonnulla, n. 52–56) sed fortunæ bonis et, quod consequens est, potentia (Eccl. 10. 19.) inter nostras catholicas facile princeps Institutio; cuius reditus impensas (*necessarias* inquam) quotannis longe superant! tantum abest ut sors ipsa periclitetur. 2° Ipse Universitatis Rector id, ex parte, fateri coactus est nuperrime, inquiens: " Le Séminaire de Québec n'est pas ruiné, Messieurs, veuillez bien le croire ". Et paullo infra: " Le Séminaire de Québec est donc rendu, non pas au " bout de ses finances, mais au bout du *surplus* de ce qui lui est " nécessaire pour faire fonctionner le grand et le petit Sémimaire".

(*) **M. C** Vol. 5. No. 3 et Vol. 2. No. 2 passim. Cfr. Verba Rectoris, 3 Maii 1884. **M. C.** Excerpta D. pg. 185. col. 1: " Dès 1852 etc. " pugnantia cum promissionibus eodem tempore factis de concedenda Universitate Morianop.

(†) 30 April. 1884. **M. C.** Excerpta [**D**] p. 184.

Sentit autem, neque hæc fidem sibi conciliare, additque " Je "sais, Messieurs, que nous n'avons pas *été crus* par tout le mon- "de..." (•) Nihilominus, ad libros dati et accepti referens, suo modo intellectos, subsidia expostulat nonnisi italico exactore digna, si fama est verax: tributum videlicet, vel Canadensium catholicorum per annos 20; vel Jesuitarum, ex maiorum suorum bonis, ad opera pia acceptis gerendisque (†); vel Sacerdotum omnium, ex ipsis missarum eleemosynis deductum...! Scilicet, æquum est pauperes et obæratos ditiorem reddere potentem, tam bene de Religione ac patria meritum! Num hæc aliaque sexcenta, feracis ne an ferocis ingenii inventa, explicatione egent? 3° Eo accedit, quod Lavallenses sumptus, quos Rector memorat, *maxima ex parte* debentur, non quidem necessitati, aut studiis alumnisque promovendis, sed crebris Lavallensium hominum, Romam præsertim, itineribus, mansionibus inibi ad annos productis, litibus non sustinendis (ut Rector ait) sed excitandis, favoribus hic et alibi captandis, etc.; imprimis vero, altis latisque substructionibus Quebeci e solo eductis, idque nemine petente et a *Succursalis tempore*! Ad quid hæc omnia nisi ad *monopolium*, aliena forma occultandum Romæ, iustitiæ fuco, apud nos autem vita donandum perenni, si fieri potest? Sed de hoc statim (n. 52). 4° Duo demum præteriri nequeunt *facta* novissima et extra omne dubium, quæ plura simul et abunde probant — Iuxta Decretum [A] (‡) " *tutte le spese occorrenti per la Succursale dovranno essere a carico della Diocesi di Monreale* ". Iamvero, quid Universitas? Suo marte ac nomine, contractum iniit cum D. S. Cherrier, a quo solum emit novæ Succursali ædificandæ destinatum. Quid, vel cur ei permiserit Rmus Episcopus Fabre, latet, nec vacat inquirere: quæ tamen certo certius constant, ex publica fama et authenticis documentis [P], hæc sunt: a) *Nulla* omnino, ad onus hoc subeundum, cogebat *necessitas*;

(•) **M. C.** Excerpta D pg. 185.
(†) V. Archiv. Coll. Stæ. Mar. Marianop.
(‡) **M. C.** Vol. 5. No. 20. p. 27.

domum enim fini aptissimam (l'ancienne Ecole Normale) ei gubernium concesserat.—b) Episcopalis vero mensa (ære alieno ita obærata ut sors ipsa periclitetur adhuc) novo huic debito solvendo omnino est impar — c) Universitas nihilominus (domina ne vel creditrix ?) volens libensque 255 francorum millia iam solvit, pecuniam nempe diu sterilem mansuram — d) idque longe *ante tempus* solutioni in contractu præfinitum, antequam scilicet Succursalis et Scholæ causa iudicetur, quo melius monopolium, iustitiæ specie, Romano iudici vim inferret ac Marianopoli altiores ageret radices [**P**]. Sed his aliisque missis, quærere liceat, num eadem hæc sit Universitas, cuius *fortuna* in maximo versatur vitæ discrimine ? — Quid autem dicendum si vera sint quæ, *hoc ipso tempore* (Sept. 1884), Universitatis ipsius diaria et amici iactant, eam nempe brevi excitaturam Marianopoli novam ædificii molem, Quebecensis æmulam, idque non Diœcesis, iuxta Decretum, sed *suo nomine ac sumptibus ? ! Factum* alterum, gravius adhuc, ita habet. Circa tempus quo fama exoptatum ferebat nuncium proximi apud nos adventus Emi Commissarii Aplici, quidam ex Universitatis *proxenetis* ad Scholæ Præsidem missus est, cui sponte obtulit *totius* Scholæ *debiti* solutionem ac Professorum omnium in Succursalem reditum, sub unica sed *essentiali conditione*, ut nempe Scholæ nomini nuntium remitterent ac *Corpus* solveretur ! Qua animi indignatione hæc fuerint reiecta, honestus quisque facile intelliget [**Q**]. Nisi quod hæc eadem iam prius ab Archiepiscopo fuerant proposita, cum Nosocomii ac Monialium damno (v. n. 25), nunc autem dispendio et *pecunia* Universitatis Lavallensis ! Sed, hac agendi ratione, ipsamet rem omnem pro lubitu composuisset *ante Iudicis adventum*, forte etiam hunc impedivisset (non[illegible]
tavit, per telegramma " Mittimus Romam duo[illegible]
nuntio accepto Commissarii venturi ?), nosque o[illegible]s priv[illegible]et
spe pacis tandem per Aplicam Sedem obtinendæ, si han[illegible], per
se suosque, de more, suadere valuisset " inferioris Canad[illegible] Re-
" gionem *plena frui tranquillitate*, perpaucis exceptis S. Sedi re-

" bellibus ! " Quod igitur ad *Marianopolitanam* attinet Universitatem, ex omnibus hucusque disputatis liceat demum inferre, nullam adfuisse nec adesse rationem cur de Lavallensis Universitatis *vita* timeatur ; *proindeque* omni prorsus veritate carere, subreptitia, secum pugnantia etc. dicenda, quæcunque ab hac Romam fuerint delata ad alteram impediendam. *Vivere* proculdubio, ut hactenus, bene potest, si velit, *quin* nostri iuvenes, vel ab ea non quæsiti, vel impotes, vel non sine causa nolentes, Quebecum adeant. Hos autem suo excipiens gremio Marianopolitana Universitas, magno numero magnaque cum Religionis utilitate ac decore, ab æmulis Protestantibus, in eadem civitate degentibus, *iamdiu avocasset* [R.S.] (*). Quod si harum influxus vel nullus sit, vel nullatenus nostræ iuventuti noxius (ut per 14 annos Lavallensis Universitas Romæ asseruit), (†) ad quid hic, quæso, eiusdem Succursalis nisi ad *monopolium* ? Num quæ innoxiæ diu fuerant noxiæ evaserunt ; vel contradictoria Romam referre licet, pro causæ necessitate ?

52. c) Verum, huc potissimum quis forte adducet Decreti verba, aientis " *L'Università Laval, pei servigi resi alla* " *Chiesa ed alla società, ed anche pei sacrifizii pecuniarii, che ha* " *fatti, deve essere sostenuta e conservata* " — Bene quidem : sed, ratione prima hic libenter prætermissa, quæ alterius est loci (n. 56 seq.), quoad secundam (*i sacrifizii pecuniarii*), sic Universitatem ipsam, coram Canadensi populo, audemus compellare — Quis, quæso, gentium hæc iussit ? Num Religionis, Provinciæ, iuventutis necessitas, vel saltem utilitas ? num Episcoporum desiderium, ne dicam voluntas ? num studiorum incrementum, sive per Facultatum, quæ adhuc desunt, erectionem ; sive per Professorum rite docentium augmentum (loco tot honorariorum,

(*) Epist. Episc. Bourget, 21 Nov. 1872. M. C. Vol. 5. No. 4. pg. 5. Respons. Arch. Queb. 22 Nov. 1872. Ib. pg. 11.

(†) Questions sur la Succursale, 1881. par ordre de l'U. L. M. C. Vol. 6. No. 3. pg. 1.

vel eorum qui simul disciplinas plures, diversas et incomposite, tradunt); sive demum per aliorum melioris notæ Professorum, etiam exterorum, adventum, pro quibus nonne longe minor pecuniæ vis impenderetur, at longe simul utilius, quam ad immensa et inutilia excitanda ædificia? Unus quidem et alter e longinquo advenere; verum, *minervalis* et *doctrinæ* difficultatibus exortis! sponte abierunt (Rev. Stremler et Dnus Aubry). Fuit ne saltem suffragiorum consensio, in ipsius Universitatis Senatu, ut nova extrueretur moles? Dicant RR.DD. Légaré fratres, qui duobus RR. et fratribus Paquet strenue adversabantur, ac demum victi, loco etiam cesserunt, quamvis iunior ad tempus. Abeant, dictum est, molisque fastigium dominetur urbi.—Imo vero " *Provinciæ toti*, per *monopolium* sub impensarum (*sacrifizii pecuniarii*) et iustitiæ specie Romæ exhibitum ", late popularis fama respondet. Quorsum enim, inquiunt, tot sumptus Quebeci, ubi adversa loci conditio, catholicorum repugnantia animorum, ipsum Universitatis propositum, longa denique annorum series et experientia, iuventutis frequentiæ ac celebritati opponuntur: quamvis Apostolica Sedes, nedum Provinciæ Episcopi, diu frustraque, adnisi fuerint favere Universitati, quæ vel nomen ipsum *provincialis* a se respuit? Quorsum illic lapidum acervus, dum alibi vivi lapides pereunt, nisi ut alii impediantur dispersos colligere, expolire, erigere...?—Quorsum? Eadem ex causa (Canadensis populus adhuc prædicat), ex qua immensæ Marianopolitanæ Parœciæ (Notre Dame) Rectores eiusdem divisioni obstabant. Illam scilicet fenerata pecunia a se ipsis sponte oblata, onerabant. suo marte hanc profundebant ad cultui non necessaria; inconsultis vel insciis nedum primoribus (quibus ex regionis lege temporalis Parœciæ cura demandata) sed ipso nil suspicante Episcopo; sicque Parœcia, nimis ære alieno obærata, in plures dividi non posset, prout animarum necessitas postulabat. Roma tamen intellexit, eamque, pro Episcopi iure et arbitrio, in plures dividi iussit: quo tandem iudicio diuturnum adeo certamen cum Marianopolitanis Præsulibus supersedit. At non ita

bellum Marianopolim inter et Quebecum huiusque Universitatem. Ratio enim iustitiæ (quæ primas Romæ semper obtinuit), hac tamen vice fuco illitæ, alteri favit; ac Marianopolitana Universitas, a S. Congregatione per Em. Card. Franchi proposita, Succursali locum cedere coacta fuit, iustitiæ specie [E] (*) !

53. d) Hæc nihilominus non ementita apparuit, quum sæpius in eodem Decreto [A] (†) affirmatum est ac imperatum Episcoporum Provinciæ *ius* in Succursalem non modo sed in ipsam Universitatem. " *Dovendo questa Università... si é ravvisato giusto... ingerenza... alta sorveglianza... dovrà il Rettore dell' Uni-* " *versità... i Vescovi avranno il diritto... anzi dovere... dovranno* " *provvedere all' esecuzione del progetto... seguenti basi* ". Quæ omnia nec optata a Lav. Universitate, eoque minus fuisse Romæ petita, facile concedimus. At simul, facta potius innuendo, libere affirmamus: 1° Ab eo quoque tempore Universitas perseveravit, ut antea, Rmor. Episcoporum *patrocinium* quidem sæpius advocare, eo uti ac abuti, per sui præcipue Cancellarium Rectoremque, Romæ, Londini et in Canada, apud civilem potestatem et populum : quodvis vero aliud Episcoporum *ius* in illam, constanter repulit. Ne superius dicta repetantur, horum primum probatur potissimum per publica Antistitum documenta, vel omnium simul vel separatim in lucem edita, a die 22 Dec. 1877 ad 27 Iulii 1883 (‡). Alterum vero per documenta probari nequit, nihil enim per Universitatis programmata vel aliunde prodiit, ex quo inferri iure possit, *mores*, *studia* aut *disciplinam* aliquod accepisse incrementum, vel Quebeci vel Marianopoli — 2° Duo tamen ex hoc silentio, rei cognitione et factis, certo de-

(*) Epist. Card. Franchi, 28 Iulii 1874 ad Arch. Queb. **M. C.** Vol. 2. No. 5. pg. 152. et Vol. 6. No. 1. pg. 82.

(†) **M. C.** Vol. 5. No. 20. pg. 24 — 26.

(‡) Mandements de Mgr. Fabre. Ev. de Mont , 8 Sept. 1877. **M. C.** Vol. 5. No. 8. pg. 98 ; 22 Déc. 1877. Ib. No. 9. pg. 114 ; 27 et 28 Juillet 1883. **M. C.** Vol. 7. No. 10 et No. 11 ; Ib. No. 17 pg. 88.

duci, ac sine calumnia affirmari et probari posse videntur — a) Universitatem utrobique, quoad tria capita enumerata, incremento egere quammaxime — b) Media ad id necessaria, et in catholicis Universitatibus adhiberi solita, vel fuisse a RR. Episcopis proposita et reiecta, vel saltem dubitandum, num hac in regione cognoscantur. Exempla quædam e pluribus in medium afferre liceat, quibus utrumque brevius et certo certius conficietur.

54. Quod ad *Religionem moresque* spectat: annua trium dierum exercitia alumnis tradebantur Quebeci: nullus Missionarium tradentem (licet Superioribus et alumnis gratum) adiit pro confessionibus, duobus exceptis, alibi, qui schedam tantum accepere, Superiori bis in anno, *de more*, ostendendam: qui casus identidem per annum accidit, nec pauci sunt qui *morem* ipsum negligunt impune. Nil mirum; tres enim quatuorve Universitatis regulæ (*) ad religionem spectantes, utpote late patentes (ne discipuli protestantes offendantur) ad nihil obligant; idemque fere dicendum de iis quæ ad mores pertinent, quæque negliguntur, maxime Marianopoli, ubi iuventus sibimet penitus ipsi relicta, innumeris religionis et morum periculis est obnoxia. Frustra igitur quæres pia alumnorum Universitatis *Sodalitia*, aliaque huiusmodi opera pietatem foventia; dum tamen nequam diu noctuque Societatum, hominum ac librorum lues omnia pervadit...

55. Si de *studiis* sermo sit, tribus abhinc annis, unus e theologiæ Professoribus, qui diu in ipsa Universitate vixit, fatebatur, eam nunquam suis tradidisse alumnis moralem philosophiam, si tempus excipias quo Religiosus quidam inibi docebat. Alius eiusdem facultatis Professor, interrogatus an levita ingenio pollens (quem ipse ad examen, ut aiunt, *honoris*

(*) Constitutions et Règlements de l' U. L. Discipline art. V. VI. M. C. Vol. 5. No. 20. pg. 113. Règlement des internes Ib. Art I. p. 118.

subeundum iuvabat), publice esset disputaturus, subridens, ait: nugæ!.. hæc et similia apud nos adhuc ignorantur! Habentur quandoque publica quædam physica experimenta, sed ab oblectamentum potius auditorum, quorum non minor pars mulieribus constat. Longam quidem seriem videre est, in *palmari*, Doctorum ac Professorum omnis fere generis facultatum; at, e primis plures tantum honoris causa, alii vel perfunctorie docent, vel identidem vacant, saltem Marianopoli, si utriusque Seminarii Professores excipas.

Quæ quum ita sint, pronum est iudicare de alumnorum, Succursalis præcipue, *disciplina*. Nam, si lectionum horæ (tum Professorum tum iuvenum culpa) infrequentes iure deducantur, cetera solidi diei pars, nec raro noctis etiam productæ, vel in urbis viis terendis teritur, vel in ludorum locis adeundis; præter festos dies, qui libere conveniendis comitandisque puellis destinantur! Quæ aliaque huiusmodi sine magno morum damno fieri nequeunt, quandoque etiam non sine publicæ tranquillitatis discrimine. Sic, sub anni superioris initium, Succursalis alumni turmatim perr exere ad socium quemdam e quæstura liberandum, audacesque fortuna iuvit!

56. Hic iam quærere liceat: suntne, vel pauca hæc, signa *incrementi* catholicæ Universitatis, Episcoporum curæ tam sedulo ab Aplica Sede commendatæ? Suntne talis iuventus talesque Professores *utiles* futuri Ecclesiæ et catholicæ Societati, ut nihil dicam de Lavallensium amicorum religiosis principiis, politicisque factionibus utrique adversis, Universitati tamen coniunctissimorum? Num ex his indicium desumendum præteritorum futurorumve Universitatis meritorum " *dei servigi resi* " (*o a rendere*) *alla Chiesa e alla Società* " ? Nisi forte de utraque *bene merita* dici velit, propter eos, qui gallicanum Pothier primi invexerunt, eiusdem doctrinæ pabulo illam suosque ab incunabulis imbuebant, oppugnantesque adversarios dire prosequi ausi sunt—vel propter eos, qui opuscula edebant ad princi-

pia tuenda civilia cum ecclesiasticis pugnantia, quique *post hæc* inter DDes Professoresque Universitatis adnumerati sunt(*)—vel qui legem, ut aiunt, *indebitæ influentiæ* in Cleri damnum converterunt, alias in Ecclesiæ favorem expungere conati sunt, adversas in legum codice retinere—vel qui laicam urgebant educationem bellumque indecorum Religiosis docentibus indixerunt, novas methodos, novos homines, auctores etiam heterodoxos insinuare, obtrudere quoque conati sunt per monopolium (et conantur adhuc, privilegiis propositis) aut libris dubiæ doctrinæ per mulierculas dubiæ famæ e longinquo huc adductis et disseminatis—vel qui denique, ne nimii simus, sententias in iudicio tulerunt verbi Dei libertati adversas vel ipsi Sacramentorum dispensationi, principiis innixi omnino acatholicis...— Hi omnes (præter protestantes sectisque devotos) sunt aut fuere Lavallensis Universitatis vel parentes, vel patroni, vel alumni, ab ea vicissim cathedra, gradibus, doctoris etiam laurea donati, aut certe eidem, partium studio et principiis, addictissimi, non sine caussa. Nec inter eos desunt titulisaucti et honoribus cumulati simul ab Aplica Sede, Universitate mediante, et a Galliarum Republica (Gambetta ac Ferry rectoribus) quo mediante nescimus: hoc quidem novimus, eosdem publice de *utroque honore*! æque se fuisse *gloriatos* inter medios catholicæ Religionis inimicos, Universitate non contradicente, aut reclamante! Hi autem passim et aperte, per suas ephemerides vel aliter, profitentur se esse Lav. Universitatis eiusque imprimis Cancellarii studiosos! quod num in utriusque ac Religionis favorem honoremque verti debeat necne, ipsa videat...! Sed hæc per transennam. Quod certum tamen iterum iterumque illud est, Decreti iussa quoad Epi-

(*) Jacques Crémazie — " Manuel des Notions utiles " Edit. Québec 1852. Chap. XI. art. 1. Du contrat de Mariage — pg. 86. &c., &c. Cfr. Opusculum " Les Jésuites et la Succursale Laval. "

Ad ea quæ sequuntur confirmanda, nomina, imo nominum series præsto sunt. Liceat tamen typis ea non committere, nisi id legitima iubeat Auctoritas.

scoporum influxum non fuisse exequutioni mandata, nec vera narrasse qui Romæ quinquennio post, contrarium affirmarunt! [H] (V. Append. II.)

57. d) Atque utinam hic consisteret male ominata subreptionum obreptionumque series! vel occulta saltem populo ac civili potestati mansisset, hic et Londini! Hic enim omnes norunt, verba illa Decreti " *le Scuole di diritto e medicina... affi-* " *gliate ad Università protestanti* " subreptionem simul et obreptionem continere. Sed, quoniam de utraque alibi sermo fuit (n. 19, 2°, 20, g. etc.), quæ forent addenda præstat missa facere, ne supra id quod necessitas postulat in rebus adeo ingratis immoremur — At, silentio neutiquam præterire fas est subreptionem, inquam, an obreptionem, an utramque, Romæ, Londini, et in Canada, apud regionis Ministros ac Deputatos, quoad ipsam *facultatem* Succursalis Marianopoli erigendæ, ex *Regia Charta* vel *Pontificio præcepto*, tam sæpe, tam varie, tam audacter ab Univ. Rectore, ut clypeo, obiectis ad omnia perpetranda?... " Les " Décrets, rien que les Décrets; la Charte, rien que la Charte ". Quum enim agitur non modo de civili, etiam regia, potestate iure verenda, sed et de Provinciæ Episcopatus catholicique nominis honore, atque adeo de sacri ac supremi in terris Principatus maiestate, *ludibrio datis* ab iis ipsis, qui vel vitam fundere pro his tuendis deberent; tunc sane (si unquam) Rectoris vel Universitatis cuiusvis dignitas pro nihilo habenda, meritaque urenda est nota. Tunc enim, ut allato insistam exemplo, sub immenso adamantini clypei orbe se recipit ac pugnat insidiose; idque non ad ss. Religionis hostes profligandos, sed ad eiusdem natos vulneribus conficiendos, ac nova adversariis ipsis subministranda in catholicos irrisionis et contemptus arma, cum incredibili animarum exitio parique scandalo, dum suprema toties decepta deprehenditur Auctoritas.

58. Et hæc quidem infeliciter habuisse locum, vulgatis-

simum est, ab eo præsertim tempore quo Reginæ Britannicæ iurisconsulti ac Ministri Lavallensem subreptionem vel obreptionem Londini definiere [L. M.] (*), usque ad novissima, quibus, præter heterodoxorum sectæque massonicæ diaria, famosi etiam libelli (occasione avide arrepta) prodiere, in ipsam catholicam Religionem venena fundentes (†). Infinitum, permolestum ac periculi plenum opus foret omnia oratione persequi... Piget etiam, ne dicam pudet, Universitatis Rectorem ducem sequi in itinere dædaleo, ab illo ad nostra usque tempora emenso; sive urbem Angliæ principem per Provinciæ Episcopos (‡) adeuntem, humiliter demisseque privilegia cum iis *frustra* rogantem; sive redeuntem ac Deputatorum aulam ingressum, mutatis vicibus, principis potius quam oratoris partes agentem (‖), suaque veluti iussa, tunc temporis nondum Romæ cognita (**), Apostolicæ Sedi tribuentem! optato quidem hac vice cum exitu, sed digno meliori causa (††)! Hæc et his similia, ab aliis fuse exposita, prostant typis edita (‡‡), nec Decretorum examini sunt necessaria; quia tamen præpostere nomine S. Sedis petita, acta ac iussa fuere, ea solum hic innuisse sufficiat — Quid igitur mirum si, post hæc, aut Scholæ Doctores civile tribunal adire tentarunt, aut ex iis unus quædam a Rectore patrata est perperam interpretatus? Verum, S. Sedis honori consulentes, statim destiterunt ab inceptis, quamvis a Rectore lacessiti; ac socii er-

(*) M. C. Vol. 5. No. 26. pg. 2. M. C. Vol. 6. No. 1. pg. 101.

(†) " La vraie source du Mal " R. P. Duclos et Théo. Lafleur. Montréal 1884, præsertim I. Part. pp. 21. 30. II Part. pp. 16. 17.

(‡) V. Petitionem Episcoporum ad Reginam M. C. Vol. 6. No. 3. pg. 32; et ad Provinciæ legistatores Ib. pg. 34.

(‖) " V. Plaidoyer de M. Hamel — passim.

(**) V. Epistolas Card. Simeoni : 14 Iunii 1880. M. C. Vol. 6. No. 3. pg. 5; 7. Ian. 1881. Ib. pg. 7; 9 Feb. 1881. Ib. pg. 7; Déclaration de Mgr. Bourget, A. Dumesnil. et F. X. Trudel, Sénateur. M. C. Vol. 7. No. 12. pg. 115; Témoignag de M. Hamel M. C. Vol. 6. No. 7. pg. 136. " Le " mot de l'Enigme ", Ib. No. 9. pp. 142 et seq.

(††) Cfr. M. C. Vol. B. pp. 97, 87.

(‡‡) " Le mot de l'Enigme " præsertim Violation des Règles Constitutionnelles M. C. Vol. 6. No. 9. pp. 174. 179 et. ss.

rorem damnarunt publice (*). Num Rectoris sui gesta Universitas unquam reprobavit? Credas! eundem imo, contra morem, ad officium redire iussit, loco alterius ad sæviendum minus apti, dum novæ in Scholam parabantur insidiæ! De his alibi vel dictum est vel dicendum (Thes. I, et Append. III.); tempus est vela contrahere, ac missis primi Decreti articulis (v. nn. 63. 64. 65. 83.) brevitatis ergo, de altero (13 Sept. 1881) unum notandum restat, quod nullo modo præterire fas est.

59. Decreti verba, non sane multa, videsis in Documento [B] (‡). In quo omnia et singula meridiana sunt luce clariora; nec facile dixeris quid reverentiam magis ac admirationem conciliet. Ipsa rei gravitas, senatus amplitudo, examinis modus, SS. Præsidis maiestas firmitasque sententiæ, verborum denique ipsorum brevitas, maxima cum simplicitate ac comitate coniuncta! Sed ecce, omnia turbat *gallica Decreti versio*, a Cancellario tamen Universitatis data! Præpositio italica *tra* redditur per gallicam *au sujet*. Quantum autem inter se discrepent, nemo est qui non videat, nec non quantum Decreti sensus pervertatur, totus scilicet. Nulla enim unquam agitata est quæstio Universitatem *inter* et Succursalem illius temporis. Schola autem (quæ de se Romæ tunc agi nec suspicabatur), triennio ante a Succursali fuerat violenter eiecta. Num hoc Roma ignorabat? num quæstionem ipsam non intellexit, aut alia ei proposita, aut alia sub luce..? *Mysterium* sane sub falso latet! ac ab Universitatis Cancellario explicari omnino debet. Qui nec potest linguæ alienæ ignorantiam causare, cetera enim præclare reddidit; ac si quid forte mendæ in textu deprehendit, liberum ei non erat, legislatore inconsulto, legis verba mutare. Hoc tamen fecit: ergo vel consilio sensum mutavit, vel discrimen nesciebat inter *tra* et *au sujet*. Postremum quis credat? primum vero, apud nos, perquam facile intelligitur. Erat enim Schola, morti destinata,

(*) **M. C.** Vol. 6. No. 4. pg. 12 et seq.
(‡) **M. C.** Vol. 7. No.12. pg. 13.

tanquam S. Sedi rebellis indigitanda, ac serius ocius fulminis ictu ferienda...! Imo vero, cum illa catholicus populus totusque Canadensis Clerus (de quibus sermo est in Decreto, licet paterne) erant, et ipsi, Romæ designandi ut Apostolicæ Sedi rebelles ; hic vero, ut tales ab Eadem crediti, erant publice Religionis hostium contemptui et cachinnis exhibendi ..!

60. Num hæc ulteriori indigent probatione, post ea quæ exinde acciderunt, usque ad diem 27 Iulii anni proximo elapsi, (1883) nigro signandam lapillo ; quorum testes Ecclesiæ filii et hostes fuere, imo vero ipsa templa ? ! An pluribus opus est ad probandum quod ab initio asseruimus, ea nempe accidisse " incredibili cum S. Sedis dedecore, Religionis hos- " tium gaudio, populi christiani scandalo, imo etiam, studiorum " et iuventutis, Marianopolitanæ præsertim sibi relictæ, dam- " no, et, quod erat expectandum, cum Universitatis ipsius, quæ horum omnium causa fuit, nominis detrimento ? Schola autem, quam dictitabant cum Monialibus S. Sedi eiusque Decretis rebellem, patiens siluit, omnia sustulit ; ac iure renuntiato civilis iudicis adeundi (ut urgebatur), S. Sedem ut matrem adiit, ab Eaque sola omnia speravit. Nec spem fefellit eventus. Est Deus in Israel.

Appendix II.

Notanda

in Documenta tria simul collata, scilicet:

1° S. Sedis **præceptum** datum Rmis Episcopis (die 23 Apr. 1882) examinandi executionem Decreti 1. Febr. 1676.

2° Episcoporum **examen** peractum (a die 27 ad 29 Sept. 1882) quadruplici Consultatione octo Episcoporum [**II**].

3° Eorundem **relationem** conciliarem (*).

61. Liceat *tria* hæc paullo diligentius conferre et Exmi Commissarii, vel S. R. Congregationis, sententiæ observationes breviter clare et libere simul subiicere. Agitur enim 1° de *S. Sedis* auctoritate et obedientia Ei debita: 2° de Canadensis *Episcopatus* dignitate: 3° de *re* gravissima, eiusque *causa* principe et *effectibus* inde sequutis, imo et futuris, nisi pro Iudicis sapientia consulatur incommodis.

I.

Præceptum S. Sedis.

Rmi Antistites *iubebantur* rem sedulo ad examen revocare— " idque ea mente... ut quidquid... in eo invenirent, quod quæ- " stionem præiudicialem non observati Decreti attingeret, hoc " *examinarent*, apta *remedia* proponerent, *abusus* removerent, et " huic S. Congregationi notificarent "... Unusquisque Episcopo-

(*) Cfr. thes. II. Analys. Decretor. pg. 26. — Et " *Observations*... sur l'inéxécution du Décret... " (**M. C.** Vol. 2. No. 7.).

rum " *tenetur* suas observationes, si quas habeat eidem (Concilio) deferre..." (*). Hæc, luce clariora, explicatione obscura evaderent.

Præstat hic potius commemorare, ea nonnisi 15 *post Concilium diebus* ad Episcoporum notitiam pervenisse! quare?.. quinque post menses a die quo scripta!.. quibus ignota!.. a quibus occultata!.. etc. nec scio, nec meum est nisi *factum* revocare: cetera qui ius habet quæret. Stant tamen *rei* ipsius *gravitas* examinandæ summaque iubentis Auctoritas: par proinde æquitas iudicii iudicumque fidelitas necessariæ in referendo ad *S. Sedem* examinis exitu. Quæ omnia maximam a tantis Viris postulant sedulitatem, et hæc a Sui ipsorum *dignitate* vicissim postulatur.

II.

Episcoporum examen.

62. Quod ad *examen* spectat, in quatuor habitum Episcoporum comitiis, singulas singulorum paginas, *sub oculis positas*, perpaucis adnotabimus; præcipua, versus finem, in quædam capita colligemus [**H**].

Sessio 1. Decreti examen.

" Présents... "

Ex octo Episcopis duo *iudicant in propria causa*, h. e. Archiepiscopus Quebecensis et Episcopus Marianopolitanus. Primus etiam in *omnibus* ad finem usque præit, et quatuor Episcopos in suam semper sententiam *trahit*: an vero *rationibus* datis, suis locis videbitur. Erit igitur nulla sententia, tum quia Episcopi quatuor influxum subeunt, tum quia *semper* in partes numero æquales opposita dividuntur suffragia, duobus iure deductis. Hi tamen pro se suffragantur (quod nullibi fieri solet); omnia

(*) **M. C.** Vol. 2. No. 7. pg. 1.

numero evincunt; Romamque sententiam mittunt, aientem Decretum *plene fuisse observatum*!

" La discussion a pour objet *l'assertion...*"

a) *Assertio*? Nonne dicendum erat Pontificium *præceptum*? — b) An hoc Concilii Præses *ignorabat*? — c) Quænam ratio illud occultandi *ius* habentibus? — d) Ubinam S. Sedi obedientia... sinceritas... charitas? — e) Curnam mentio *duorum*, quorum nomina sponte in memoriam revocant *programma catholicum* [F] (*), iura Ecclesiæ in cœmeterium defensa ab altero etc.; ab altero vero catholicarum causarum omnium tutelam susceptam, doctrinæ integritatem, certamina contra liberales eorumque patronos, iniurias exinde diu, publice, patienterque latas, etiam per ephemirides, quodque peius, unde non erant sane expectandæ... præter vitæ sanctimoniam, apostolicas virtutes etc.?.. Quæ omnia (non secus ac eorum inimici) populo Canadensi notissima sunt, nedum Episcoporum Senatui. — f) Nonne poterant nomina supprimi? vel novæ iam parabantur insectationes insidiæque (sit venia verbo), hic et Romæ? — g) Demum, *fama est*, unum e Rmis Episcopis *suspicasse*, et iure petiisse Romanum aliquod Documentum, si forte adesset; quod constanter vel denegatum fuit vel mysterio involutum!.. Exmi Commissarii vel S. Congregationis erit investigare, tum hoc, tum quæ ad id evolvendum, circumferuntur [I]. Facile hac ratione fortasse in lucem prodibunt omnia quæ, eo quinque mensium intervallo hinc inde scripta sunt, quæ impetrata, extorta, detortave.

" Mgr. de *Sherbrooke* déclare... *ne se plaint...* "

E contra *dolendum* ei erat, de *Decreto saltem* non observato, postquam *ipse* cum maiori numero Episcoporum fassus fuerat " ne *con-* " *ilium* quidem fuisse ab iis petitum "! An in talibus *assentatio* est Episcopo et Roma iubente digna? Quid mirum, si ad finem usque conventuum pro Præside suffragium tulit? Cumque esset

(*) Epist. Card. Patrizi Archiepiscopo Quebec. 4. Aug. 1874. **M. C.** Vol. 1. No. 1 bis. pg. 123.

Concilii *a secretis*, saltem præstabat abstinere ab iis scripto notandis, quæ vel ad rem non sunt, vel solum probant, eundem Decreti primi (1876) iussa aut ignorare aut contemnere.

" Les autres Evêques... *addition est inutile...* "

Multo plura peti et addi poterant, quoad Decreti observationem. *Unum* tamen hoc, quod petitur, ex tot iussis, (v. sup. præcepti verba), tam verum, tam iustum, tam præcipuum ; uno verbo (*inutile*) *reiicitur*, contra tres, a quinque Episcopis, quorum duo sunt iudex et pars, duo alii sibi consentanei non sunt in eodem conventu ! In quo nulla alia movetur quæstio de observatione potioris partis Decreti ! Num ideo tantum quæstio iustituitur, ut nomina aperiantur eorum, qui *alibi* de Decreti *inobservatione* fuerant loquuti, quorum unus præsens adest ? Si huiusmodi *examinis modus* a Roma indictus fuit, novum proferatur documentum, vel innuatur saltem ; si vero secus, iuxta primum iudicetur. Sed hoc *tunc* nec cognoscebatur, nisi ab Archiepiscopo, ut videtur.

SESSIO 2.

Examen articuli 1.

" Mgr. l'Archevêque... *articles...* Mgr. d'Ottawa... *amendement* ".

63. Uterque Præsul sibi consentaneus. Ratio patet ; sed simul, ex qua parte iustitia stet, et cur idem suffragium ab iisdem, silentium vero ex opponentium sedibus.

" Mgr. l'Archevêque propose... l'art. 1. signifie... "

Responderi posset in forma Scholæ : dist. *significat* vel *adsignificat* (directe vel positive), *exteros Dioecesi* Marianopolitanæ posse contribuere etc. *negatur* : *non excludit* (seu negative, indirecte) *conc.* Sed, si hoc, quot alia non excluduntur ? An ex hoc dici valet, ea omnia *includi* ? v. gr. bona Soc. Iesu, quæ forte exinde intendebantur seu *adsignificabantur !* Huic itaque

Réjean Olivier

Ex-Libris

adsignificationi, inscii fortasse, de more tamen bisque annuerunt Antistites quatuor, tres reliqui siluere. *Nisi* quod, Trifluvianus aperte eidem in 4° conventu obstitit alio sub titulo; Marianopolitanus autem, e contra, ulterius et infeliciter progressus est, aiens: " que *seul* il a la responsabilité de ce qu'il a fait en établissant la Succursale à Montréal. " Atqui a) non est quæstio *solum* de iis quæ ipse fecit; sed etiam de aliis quæ, eo fatente, et querente ab aliis *passus* est... v. gr. a Lav. Rectore, quem vocavit *nebulonem*; ab Archiepiscopo, " *de quo Apostolico Commissario dicam quid sentio* " ait cuidam, quocum de Archiepiscopo querebatur—b) imo, de omnibus quæ, Decretis rite inspectis, vel *extra*, vel *contra* facta sunt—c) Nonnulla etiam quæ ipse fecit aut scripsit, v. gr. contractus cum Schola, epistolæ &c., vel non *sibi constant*, vel non fuerunt *servata*, ex Universitate contradicente—d) Nonne Romam scripserat ad Can. Lamarche " Faites tout au monde pour que l'on n'urge pas la fondation " d'une Succursale de Laval à Montréal..." [N] (*). Paratus ne est de omnibus his respondere, quæ melius animi docilitate, seu lenitate et fide explicantur (quæ eius sunt tessera: in *fide et lenitate*) ? Sed, ne quid nimis.

SESSIO 3.

Examen articulorum, a 2. ad 10.

" Mgr. l'Archevêque propose... art. 2.—10... teneur ".

64. Idem examinis, suffragiorum *modus* et *exitus*; nisi quod *novem* simul articuli uno proferuntur hiatu, de quibus tot fuissent dicenda ! Verum, de his, alio loco. (†)

(*) 3 Sept. 1876, h. e. post Decretum. **M. C.** Vol. 2. No. 4. pg. 2.

(†) Cfr. Observations sur l'inexécution du Décret. 1876. **M. C.** Vol. 2. No. 7. pg. 13. ss.

SESSIO 4.

Episcopi Trifluviani nova quæstio et exceptio.

" Mgr. des Trois-Rivières... *question suivante...* "

65. Quæstio proposita: 1° ad *hanc reduci*, ni fallor, commode *potest*: Num admissa art. 1. *explicatio* Marianopolitanam Diœcesim *eximat* ab onere solvendi aliquando pro impensis omnibus factis vel proculdubio faciendis pro Succursali; vel e converso, omnium *eidem* illam relinquat, donis etc. de iure demptis? 2° Quæstionis propositæ *finis* eo tendit, ut ex responsis *apertum fiat*, num Universitatis arbitrio sumptus iidem relinquantur necne.— 3° Quæstionis demum exitus seu *conclusio*, ex responsionibus deducenda, plura afficit magni momenti consectaria, ad Decreti *inexecutionem* et *iustitiam* ipsam spectantia (*). Quæstio *igitur*, responsum aliquod *omnino postulat...* Non aliud datum, quam:

" Les EEv. s'en tiennent à leur première déclaration!.. " eo frustra interponente, qui ad trutinam saltem quæstionem vocari ius habebat.

CONCLUSIO

Sessionum et animadversionum.

66. Ita demum Sessionibus finis impositus — a) *examini* nempe rei summi momenti, tantarumque sequentium turbarum segeti — b) ad quas præcavendas, perepportune simul et mature adhuc, S. Congr. de Prop. Fide Emus Præses illud *imperaverat*— c) idque *post annum*, quo ipse S. Pont. LEO XIII iterum, sapienter solemniterque *iusserat* (13 Sept. 1881) huic omnium fundamentali Decreto " omnino standum esse " (*essere Sua decisa volontà, che debba starsi etc.*) — d) examen, in-

(*) M. C. Vol. 2. No. 7. pg. 10. ss. § II.

quam, huiusmodi ab iis, qui *obedientia* Supremæ Auctoritati debita, non minus quam potestate ceteris præire tenentur, *tali*, post quinque menses, mandatum est *executioni*! — e) Tale scilicet Decretum, quoad 1ᵐ potioremque sui partem, *totum transmittitur*: quoad alteram, *præpostera* inficitur interpretatione: ultimæ demum articuli novem, iique gravissimi in unum veluti manipulum colligati, approbantur perperam; tribus frustra Episcopis ad finem usque vel iure contradicentibus vel per summam iniuriam ad silentium coactis! Ubinam, quæso, gentium hæc fiunt?

III

Episcoporum Relatio Conciliaris, Romam missa.

67. Superest, maximique momenti foret, Responsio Romam missa; ad cognoscendum quatenus, præcepto et examini collata, vel concordet vel discrepet. Verum, scribenti adhuc impervia, Excellentissimo tamen S. Sedis Commissario volenti ac ius habenti patere facile potest; et valde optandum, ad plenam tanti ponderis rei notitiam.

Appendix III.

Scholæ appellatio

Ad Rmus Provinciæ Episcopos

Eorumque sententia [K] (*).

68. Monialium consiliis monitisque, suimet ipsorum Religionis sensui et S. Congregationis de Prop. Fide statutis, Scholæ Doctorum maior pars obediens, ne Romam denique iterum pergere cogerentur; decrevere causam suam ab Episcopo Marianopolitano per *appellationem* deferre, non quidem ad civile, sed ad *ecclesiasticum* Episcoporum Prov. tribunal, mediante Archiepiscopo Quebecensi. Hic vero, quin eam exciperet ac Episcopis nuntiaret, ne *nomen* quidem appellationis admittere volebat, nisi *prius* affiliationi protestanti Schola nuncium daret, videlicet nisi mortem ipsa sibi consciscceret. At, ubi eam laqueo capi repugnantem comperit, verbo quidem appellationem excepit, *re* autem de hac agere cum Episcopis nunquam permisit (†). Horum igitur tribus ad causam cognoscendam ac referendam designatis (h. e. Archiepiscopo ipso ! et Episcopis S. Hyacinthi ac Cytherorum), *sententiam*, omnium nomine, idem Archiepiscopus tulit, in epistola ad Scholæ Præsidem, data sub diem 25 Iunii 1883 [K].

Quamvis tantæ Auctoritati loquenti suus sit honor tribuendus, maior tamen in casu videtur *iustitiæ ac veritati* deberi. Sententiam itaque liceat (reverenter quidem at libere, et coram supremo Iudice tantum) ad trutinam revocare, perpaucis ante notatis.

(*) M. C. Vol. 7. No. 10, 11.
(†) Epist. Arch. 22 et 28 Maii 1883. M. C. Vol. 7. No. 12. pp. 56, 74.

69. Quod ad Episcoporum *Legatos* attinet — 1° in tota causæ inquisitione, Archiepiscopus (h. e. L . Universitatis Cancellarius) præit (*), in Scholam simul iudex et actor ! — 2° Causæ appellatio spectat primo et *directe* iustitiæ iura et Marianop. Episcopi Mandatum, *indirecte* vero et secundo Lav. Succursalem et Decreta. At Episcoporum Legati in hoc altero toti sunt, de primo ne verbum quidem a Scholæ Legatis proferri sinunt. – 3° Apost. Decretis cœcam iugiter obedientiam urgent, imo imperant, *re* autem Decreta cum eorundem interpretatione præpostera *confundunt* perpetuo. — 4° Demum, nulla inquisitionis aut iudicii umbra, nedum forma, servata, personam agunt aperte non Legatorum aut ius tuentium, sed Lav. Universitatis ipsius acriter impetentis; conanturque Scholæ Doctores, quoad eius fieri potest, in verbis capere, ex quibus *S. Sedi rebelles*, sin minus esse, at saltem videri queant ac declarari. Quæ omnia editis documentis (†) constant. Communis quoque fert fama, viam hanc leguleii cuiusdam consilio fuisse initam, quo contractus cum Monialibus abrumperentur, ex apposita ab his clausula (nn. 11. 15. 19. 21.) : quidquid vero de fama sit, sententiæ tenor et exitus huc collineant.

70. Quod ad *sententiæ renunciationem* spectat — 1° data est Episcoporum nomine, ac si *nemo contradixisset* (" de leur part et de la mienne " [**K**]) : hoc autem certo certius a vero abludit; ipso Episcopo Marianopolitano hæc scribente : " Voici " la réponse de la *majorité* de l'Episcopat " [**K**]. Nonne, honestior, quæso, hæc altera fuisset formula? præsertim quum fama sit, non modo hanc sententiam fuisse *prius* Scholæ missam quam Episcopis, sed etiam, non omnes, inter eos ipsos qui sententiæ, quoad rem, adhæserunt, ecclesiasticam Scholæ *censuram* approbasse..! At, quoniam siluere (maioris forte scandali vitandi

(*) **M. C.** Vol. 7. No. 12. pp. 59. 69. 70—79.

(†) " Derniers Documents relatifs aux difficultés survenues entre l'Université Laval et l'Ecole &c. &c. " Montréal. 1883. V. loc. cit. pg. 70–79.

causa) sententiæ auctores a populo *omnes* sunt habiti – 3° Longius adhuc eorum plures, Archiepiscopo duce, sunt progressi, per solemnem nempe in sacris Templis sententiæ renuntiationem. An his opus erat? an per Canones licet? an ita satis Sacrorum Antistitum mansuetudini, honestorum hominum suorumque famæ ac saluti, populi denique exemplo consulitur?

71. Iam ad *sententiam* ipsam — Rationibus primo et secundo loco datis (Epist. Arch. Queb. ad Scholæ Præsid. 1° et 2° [K].) respondetur, secundum dicta (20, 24) : 1° Schola *affiliationem*, neque Lavallensem neque quam habet, per suos Legatos postulavit, tanquam conditionem *sine qua non*, sed ei, qua licite et innoxie (sensu explicato et ab ipsa Lav. Universitate admisso) fruitur, adhærebat et adhæret adhuc, *donec* res iuste componantur; idque ne, propter materialem tantum affiliationem Universitati protestanti, perire cogatur. A Lavallensi vero postulabat vel reditum in Succursalem, conditionibus æquis, vel damnorum compensationem, si omnino est Carthago delenda – 2° Quoniam vero Scholæ Doctores ab Episcoporum Legatis urgebantur, iniquis etiam propositis conditionibus (20, e; 24), vicissim et ipsi proponebant suas (*échange de vues*), neque id ex *officio* (*). Ac, siquidem ex his aliqua Lavallensi *monopolio* opposita videbatur, poterat quidem reiici, sed ne statim, quæso, confodiatur Apostolicorum Decretorum nomine, neque Scholæ Doctores damnentur tanquam " S. M. Ecclesiæ *rebelles* sibique ipsis contradicentes ". Numquid conditiones, vel potius imperia, Lav. Universitatis ac interpretationes præposteræ, dicendæ Summorum Pontificum Decreta? Quousque tandem venerabili adeo Auctoritate abutentur ii præsertim quorum est exemplo ceteris præire?

72. Quid vero de contentione seu æmulatione cessanda, quam vocant concursum (*concurrence*). V. Epist. Arch. Queb. ad

(*) M. C. Vol. 7. No. 13. p. 70. Ctr. Ib pag. 89 et pag. 57.

Scholæ Præsid. 3° [K] (*), deque *ope* pro viribus ferenda Lavallensi Succursali, de quibus tertio loco sermo est? —1° Concurrere alteri proprie, præsertim gallice (faire concurrence), dicitur ille qui secundus advenit, non vero qui primus ac solus longe antea currebat, ut Schola—2° Quod si concursus significet oppositionem *indebitam*, tunc sane, præter quam quod iterum retorquetur accusatio; mitius insuper, contra morem, loquuntur Iudices, dum Scholam asserunt Succursali non favere nec opem ferre pro viribus? aptius eam dixissent moliri, *machinari iniuste*, vel quid simile, quo gravioris culpæ ream ostendissent. Plurimas Schola ageret gratias, nisi mox ab iisdem esset auditura, opem non ferre ac machinari *unum idemque* esse! — 3° Si denique non de nomine sed de re sermo sit, ac maxime de *rebellione S. Sedi*, quæ infertur; nonne absurda simul et impia Ei calumnia irrogatur, si quem vetare dicatur ius suum prosequi, aut stricte iubere alteri opem ferre, cum gravissimo incommodo ac contra iustitiam? atque adeo, eumdem damnare atro crimine rebellionis eidem supremæ in terris Auctoritati, ubi læsus queritur, oppressus (ab iis ipsis qui tueri debebant!) " ad Eandem appellat et concurrit quasi filius ad Matrem..." Dei ipsius vices gerentem? (v. nn. 18. 21. 22.). Horrendum dictu!

73. Ad quartum sententiæ argumentum seu principium (Ib. 4° [K]), pauca hæc inter plura sufficiat reponere — 1° Si per mandatum *absolutum* intelligitur (quidnam aliud intelligere fas est?) solutum ab omni *conditione* omnique *discrimine* negativum inter præceptum et positivum, ex dictis (18, c), negatur assertio, quæ primis moralis principiis adversatur. Cur igitur vox illa, ne dicam iniuria " tergiversatio " (*faux fuyant*)? ad quid *principium* illud obtrusum " Tout acte, qui par sa nature tend directement ou indirectement... "? ad fucum faciendum, sit venia verbo. — Nam 2° sunt *absque numero* actus eorumque ob-

(*) Cfr. verba *opposita* Rectoris Un., aientis: " vous aurez en nous des " *émules*, mais non des *ennemis* " (v. n. 42).

iecta, quæ ex sua sane natura, directe vel indirecte, Lavall. Succursalem iuvarent, quæque divites sexcenti possent in eius favorem conferre, sed nolunt, præsertim si conditio aliqua vel causa quævis legitima, quandoque etiam levis, accedat; a fortiori vero, si incommodum grave aut gravissimum, ut in casu Scholæ. Num omnes hi, suorum actuum et bonorum domini, a Decreto obligantur sub gravi et in virtute s. obedientiæ? num dicendi S. Ecclesiæ rebelles, si renuant? quot, quæso, post talia placita, Ecclesiæ Canadensi remanerent filii? Risum hæc forte movent; at, siquidem serio sunt sumenda principia, quæ huiusmodi sponte pariunt consectaria, quisnam non putet, illa consilio et ad fucum faciendum obtrudi in re adeo gravi? Nisi quis forte malit, eadem a partium studio abreptis prolata dici; quod num minus indecorum sit ac tantis Ecclesiarum ducibus indignum, nescio. Alterutrum e duobus, ni fallor, vitari nequit; ac quidquid eligere necesse est ab hæc audientibus, christiano coram populo edicta solemniter, plus quam obloquentium audaciæ, talium principiorum auctoribus tribuendum videtur, suam adeo Auctoritatem dignitatemque obliviscentibus aut iis abutentibus, Universitatis Lavallensis gratia..!

74. Fundamentis effossis, domus corruat necessum est. Quum itaque assertio *Scholæ perduellis* veritate careat, non modo sententia tanto opere elaborata sed et tria *corollaria* (Ib. a, b, c. [K].) penitus evanescunt. Præstaret igitur huic Appendici finem imponere, præsertim postquam suprema S. Sedis Auctoritas, his auditis, fulminis alis adfuit, iussitque *omnia suspendi.* Verum, non abs re erit fortasse de aliis *consectariis* loqui longe *gravioribus*, quæ hoc uno, brevitatis ergo, concludi facile possunt— Diuturnum nempe Lavallense *monopolium* eo devenisse, ut, nisi Apostolica Sedes mature obstitisset, novam inter nos latissimamque viam, quuntum ex se est, aperuisset animarum quamplurium ruinæ, populi Canadensis scandalis, christiani nominis hostium insidiis, catholicæ Religionis damnis: idque ipsa sacra

Provinciæ Antistitum auctoritate adiuvante, Ecclesiæ nomine ac armis! Spectato enim *primo* sententiæ *corollario*, ac simul Scholæ *iure* civile tribunal compellandi, videre datum esset claustrales ab hoc damnari Virgines; quibus obedire quidem iussis mandavit, obedientibus tamen opemque enixe rogantibus, si causa ageretur, *opem omnem* sacra *denegavit* Auctoritas! Hanc ipsam vidissemus cum forensi pugnantem ac certe victam; forum, claustri mœnia, urbis domos ac viarum compita, publicas utriusque Americæ ephemerides... brevi, omnia turbis, oblocutionibus, iniuriis, calumniis plena; gravius adhuc quam in causis vel famosi *Guibord*, vel sectariorum qui Arausicani (Orangistes) nuncupantur, vel in aliis quas ipsi Lav. Professores plures excitarunt; tunc enim ius ecclesiasticæ Auctoritati favebat. Hæc autem omnia accidisse Rmi Antistes probe norunt, iterum eventura expectabant, si Scholæ Doctores civile tribunal adiissent; ea tamen quin præcaverent, Scholam imo lacessere visi sunt, tum per solemnem in Ecclesiis condemnationem, tum authenticis documentis ad Moniales datis ac producendis, siquidem ad civile forum traherentur! Heic vero quærere liceat, quisnam horum omnium fuisset prima volens sciensque causa, nisi Lavallensis Universitas Quebecensi Archiepiscopo duce? Nec satis.

75. Post *corollarium alterum*, conspicere datum esset nedum catholicæ Scholæ Doctores (quorum plures piissimi) sed et iuventutem frequentissimam iisque imprimis addictam, parentes, curatores, plus quam decies centenos veteres Scholæ alumnos, quotquot denique affines, clientes, amicos, per quadraginta et amplius annos, sibi et Scholæ devinxerant; hos omnes, inquam, vidissemus ab *Ecclesiæ Sacramentis arceri*, iubentibus Provinciæ Præsulibus, Apostolicæ Sedis nomine, ac Lavallensis Universitatis gratia! Actus enim Scholæ amici vel ediderunt, vel edere sunt parati " natura sua tendentes, directe vel indirecte ", non quidem ad Succursali sed ad Scholæ favendum...

Marianopolitanus igitur ipse Rmus Episcopus in eorum est numero! qui duobus e Scholæ Doctoribus enixe rogantibus benigne concessit, sacra Exomologesi, ut sæpe solebant, de more lustrari. Risum teneatis, dicerem, nisi *constaret* Lavallenses quosdam, hæc scribenti notos, hac de re Episcopum carpsisse, eique culpæ vertere fuisse ausos, eo quod ita agens, sententiam in sui favorem a Collegis datam, redderet effectu vacuam! Quidnam effutirent, amabo, si nossent, alium Scholæ Doctorem, tunc Romæ degentem, ipsius S. Pont. LEONIS XIII dextera fuisse sacra muneratum Synaxi, nec quicquam illi magis cordi fuisse, quam schedam id testantem illico ad uxorem mittere, graviter dolentem de audita in ipsa Ecclesia viri condemnatione? Ut nihil dicam de alio præ ceteris pio, Religiosarum Familiarum ac pauperum parente per annos 40, diuque Scholæ præside; proindeque plus ceteris (velut alter Doctor Landry) a Lav. Universitatis Rectore ad vitæ finem exagitato..! Doctore, inquam, Eugenio H. *Trudel*, paullo post Romanum telegramma e vivis sublato! Ni divina et Apost. Sedis Providentia mature consuluissent, catholicus populus ad sententiam audiendam admissus, spectare coactus esset *virum talem* morti proximum vel iniustæ damnationi acquiescere, vel Ecclesiæ Sacramentis et sepultura orbatum, æternæ devoveri, saltem ab externo foro! Sensit hæc Canadensis populus, sensere et ipsi Religionis hostes! Vidimus enim extrema funeris magnæ animæ exuviis talia soluta, ut nulla splendidiora, ab obitu celeberrimi Ministri Cartier: nisi quod huius feretrum maior procerum numerus obsidebat; illius vero, pauperum, Monialium, orphanorum: præter frequentissimos utriusque Cleri ministros (*). Quid quod vel ipsi Scholæ et Religionis hostes, heterodoxi aut sectis devoti, suo modo et aperte, honores demortuo laudesque detulere, illum Scholamque damnantibus ac catholicæ Religioni insultabant? Inter quos eminere Doctores plures e protestante *McGill* Universitate: qui, sententia cognita, ac comitiis habitis, eandem publice reproba-

(*) **M. C.** *Excerpta* Vol. A. p. 227 ad 232.

runt, in Religionem ipsam culpam reiecerunt; simulque decrevere, suis quoque iuribus esse invigilandum strenueque obsistendum, si forte Lav. Universitas vel catholici Præsules, per legumlatores, aliave quavis ratione, ulli e suæ *Almæ Matris* iuribus minarentur. Bellum scilicet instaurare parati erant, quod quinque ante annos in publicis ephemeridibus bis indixerant " *Romanæ tyrannidi* " occasione accepta a Rectore Lav. Universitatis, qui legem quamdam vel urgebat, vel certe palam iactabat, se posse a gubernio obtinere, Universitates omnes spectantem. Quo tempore eo usque res processere, ut Exc. S. Sedis Legatus coactus fuerit imprudentis conatus aut iactantiam compescere. Sed, his missis, quid demum dicendum de abusu spiritualium armorum ad temporalium rerum defensionem eamque iniustam? Quænam dicenda horum quoque malorum causa, eaque princeps, nisi Lav. Universitatis *monopolium*, auctoritate præsertim Archiepiscopi Quebecensis suffultum?

76. Ad *ultimum* quod attinet *corollarium*, illud sponte in memoriam revocat ea quæ scripta leguntur in ss. Litteris de vinea Naboth, deque parabola Davidi a Nathan proposita (3. Reg. 21 ; 2. Reg. 12). Vel pressius adhuc, præclarum illud S. Joannis Chrysostomi exemplum revocat, exilium gravioraque passi pro tuendis pauperum viduarum iuribus, in ipsam imperatricem Eudoxiam eas opprimentem. A quo ss. Præsulis iudicio et exemplo quantum distet sententiæ huius corollarium, nemo est qui non videat. Gratiæ igitur laudesque Deo O. M. sint immortales, qui statim, per Aplicam Sedem, tantam Canadensis Ecclesiæ delevit maculam!

THESIS III.

Ex hactenus disputatis rite videtur inferri : *alterutram* e duabus tantum, in quæstione Succursalis Lavallensis, *æquam* esse *solutionem* — primam quidem partes inter litigantes : alteram S. Sedis Commissarium inter et Scholam — Videlicet, vel 1° Scholæ in Succursalem *reditum*, sed solummodo iuxta Apostolica Decreta superius explicata, et primi Legati iussa : vel 2° Scholæ *vitam* catholice ac seorsim, ut antea, *perseverantem*, secundum S. Sedis Exc. Commissarii normam.

77. Prænotanda — 1° Plura in hac thesi iure heic *supponuntur*, quæ fusius in præcedentibus exposita fuere argumenta : thesis enim hæc aperte in prioribus contineri videtur, ut logica deductio in principiis factisque superius commemoratis. Nonnullas nihilominus opus est probationes vel paucis revocare, vel numeris innuere ac lectorem ad superiora remittere, brevitatis gratia. 2° Primam quæstionis solutionem non ideo Schola proponit, quod eam *eligat*, aut undequaque iustam arbitretur. Non enim præferre aut adamare valet *societatem*, quam Lav. Universitas semper abhorruit (nn. 20, 37 &c.), diu recusavit, ac nonnisi a S. Sedis Legato coacta demum admisit, cum tanto Scholæ damno ! Neque *iuste aut legitime* Marianopoli erecta dici potest Succursalis, quæ *certe* reiicitur ab illo eodem " Magnæ " Reginæ Britanniæ Diplomate (Charte Royale) (*), cui in

(*) Et nous... voulons de plus... que la dite Université Laval... ait et possède tous et *les mêmes* privilèges que ceux dont jouissent *maintenant nos Universités de notre royaume*... et que le dit Conseil Universitaire ait pouvoir et liberté d'accorder et de conférer... les degrés &c., &c.

Et nous de plus... voulons... que le dit Conseil Universitaire... ait et possède le droit et le pouvoir d'affilier *et* d'unir à la dite Université un ou plusieurs des Collèges &c., &c... *conformément* néanmoins aux Lois, Rè-

" *nulla re derogatum* voluit " (*) ss. Pont. PIUS IX. fol. mem; aut denique iustum legitimumque vocari *privilegium* (bill) a Canadæ Legislatoribus ambitu, fraudibus, vi fere extortum (†), quodque serius ocius, a Protestantibus saltem, impugnari potest, tanquam *supra* gubernii provincialis *vires* concessum, cumque Facultatum Marianopoli præexistentium damno, si quando a Succursali *absorberi* se sinant, cum eaque perire cogantur. Quoniam tamen Apostolica Sedes (unius Quebec. Universitatis culpa) horum omnium ignara Scholæque iurium, nonnulla sanxit Lavallensi sub falsa hypothesi ac, Decreta edidit; his Schola maluit morem gerere ac adhærere, quam animorum repugnantiæ ac iuribus, tum suis tum Marianopolitanæ Civitatis, stricte sumptis.

78. His rite præmissis, ex omnibus disputatis plane videtur inferri, primam quæstionis solutionem *omnium iura servare*: videlicet Apostolicæ 1° et ante omnia, ut par est, Auctoritatis, cuius Decreta a Scholæ Doctoribus sincere, plene, religiose, ut hactenus, excipiuntur, ac tanquam *unica* rerum componendarum habentur *norma*, etiam quoad civilem Marianopolitanæ Succursalis erectionem, misso Scholæ civili iure — 2° Hoc autem supposito in Lav. Universitatis favorem, ea plene iuribus fruatur, quæ ex canonica erectione sponte enascuntur; sed ne contra (‡) canones, quæso, Professores iterum aut Rectoris arbitrio relinquat, aut eiiciat iniudicatos — 3° Quod si servet, Scholæ quoque Doctores poterunt, ut antea, honeste vivere, ac

---

gles et Ordonnances susdites. V. Constitutions et Règlements de l'Université Laval. 1879, pp. 17. 18. **M. C.** Vol. 5. No. 20.

Cfr. [L] Opinion de Sir Farrer Herschell, Ib. No. 26; " Etude Légale concernant les Succursales de L'Université Laval à Montréal. T. L. Archambault. 1880. Ib. No. 25. Cfr. etiam **M. C.** Vol. 6. No. 9. p. 174 et seq.

(*) Bull. *Inter varias sollicitudines*. **M. C.** Vol. 5. No. 20. pg. 25.

(†) " Le mot de l'Enigme " pg. 179. **M. C.** Vol. 6. No.9.

(‡) V. Maupied, de Universitatum regimine et Constitutione. n. VII.

IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)



Photographic Sciences Corporation

23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 872-4503

1.0
1.1
2.8
3.2
3.6
4.0
2.5
2.2
2.0
1.8

illis saltem iuribus pacifice frui, quæ omnino ad vitam sunt necessaria, quæque ab utraque parte *admissa* iam fuerant (licet diversa fide !), Legato iubente et *iuxta Decreta.* Iuxta hæc, inquam ; nam quæ a Succursalis solemni erectionis die (6 Ian. 1878), imo quæ *ante*, inscio Pontificio Legato, vel quæ *post* eiusdem obitum (4 Aug. 1878), hucusque egit Lav. Universitatis Rector, extra vel contra Decretorum spiritum et litteram Legatique voluntatem, ea inquam omnia ipso iure nulla sunt, neque obstare iure valent.

Imo, quoniam iis abusus est Scholæque bona fide, in contractibus initis, pacta primus fregit, Scholam arbitrario eiecit, novam sua solum auctoritate instituit, causa proinde princeps sequentium turbarum fuit ; tot tantorumque male factorum est valde improbandus, atque *omni*, si quod aderat, *iure excidit.* Quomodo enim, his omnibus stantibus, et probatis (V. Thes. II. præsertim nn. 37 ad 42), iura ulla ex huiusmodi actibus contractibusque orta stare vel obiici possunt ? Innocens, ex morali doctrina, nec tenetur nec pati debet ; resilire potest, si velit, et damnorum reparationem, sin minus, expetere... Sed, Deo favente, hæc aliaque longe sunt a Scholæ animis. Ex his tamen facile patet quid respondendum esset Archiepiscopo, voce et scriptis, affirmanti Scholæ Doctoribus " La Succursale n'est pas à faire " (*). Tanti viri cum bona venia responderi poterat " Elle est à défaire et à refaire " non secundum Rectoris alteriusve arbitrium sed secundum *Apostolica Decreta.*

79. Hæc autem (Lavallensi interpretatione et applicatione iure omni reiecta) dupliciter spectari possunt, ut dictum est (nn. 43, 44) : 1° *thetice*, h. e. *ut sunt* iuxta eorum spiritum et litteram — 2° *hypothetice* h. e. qualia *certe fuissent*, etiam quoad verba, si Lav. Universitas canonicam erectionem et *privilegia* sollicitans, S. Congregationem præmonuisset (ut tenebatur, quod spectat ad Succursalem) de iuris et medecinæ Facultatum, Ma-

(*) Epist. Arch. Queb. 3 Iuin 1883. M. C. Vol. 7. No. 12. pg. 80 ; Ib. p. 71-

rianopoli præxistentium, longe ante præexistentibus iuribus. Quod in comperto est, eam non præstitisse.

Iamvero quod 1ª attinet, fatendum, Decreti primi non quidem spiritum sed *verba*, imo vero neque Decreti ipsius verba rem præcipuam et principia, quibus innititur, exprimentia, sed *articulos quosdam* praxim spectantes verbis utique fuisse redditos, materialiter quidem et nolenter, *vere* tamen hæc iura infirmantibus *Materialiter* inquam et *nolenter*; Decreti enim spiritus, res ipsa quæ iubetur, et principia maxime, quibus tanquam fundamento innitur, nonnisi ius et iustitiam redolent, Eo sane digna qui est in terris suprema utriusque norma. Sed, de his articulis statim.

80. Quod interim *nota et laude* dignum illud est; medicæ scilicet Facultatis Marianopolitanæ Professores his etiam articulis, cœco quodam religionis sensu, atque adeo fide (semel ac de S. Sedis voluntate edocti) omnes *subscripserunt* [**D**] (*). Qua in re longius quodammodo sunt progressi quam ipsa Societas Iesu, quæ, laqueum mature nacta, maluit suis Iuris Artiumque Facultatibus nuncium remittere, quam Decretorum specie illudi ac opprimi. Quin etiam, contractibus post initis ac Decretorum nomine impositis (" les Décrets, rien que les Décrets ") Rectori nimis creduli, sua apposuerunt nomina; auctoritati nempe tanti viri et Sacerdotis dictis acquiescentes; *donec* experimento iterato nec dubio compertum est, omnia eo tendere, ut omnis brevi *Scholæ vita adimeretur !*

81. Hæc autem hactenus *sola causa* fuit, cur sæpius Schola *iniuriam* conquesta, S. Sedem tandem *interpellavit*, non eo sane consilio, ut ulli ex Aplicis Decretis, vel eorum cuivis obsistat parti; sed hoc unum rogat humillime, ut (his aliisque cognitis, a Schola diu, patienter ac silentio toleratis iniuriis) *Ipsamet per Sui Nuntium videat*, num servatis servandis, *vita hæc*

(*) **M. C.** Vol. 5. No. 15. pp. 77. 79.

(qua sane Schola per 40 et amplius annos omni iure est potita) valeat *cum mediis* ad eam tuendam *necessariis*, cumque *nullius vera iniuria*, perseverare *conciliarique*. Anne hoc *idem esse* ac Decretis obsistere illa ipsa affirmabit Lavallensis Universitas, quæ Decreta eadem toties et multimodis conculcavit, ad suum traxit sensum, corrupit etiam (n. 59), magno cum bonorum animi dolore, S. Sedi addictorum, atque utinam addi nequeat, pari cum populi Canadensis scandalo?

82. Quod autem Scholæ (adhuc Decretis morem gerentis) *vita mediaque* necessaria, facile valeant ab Aplica Sede *servari* cumque omnium iuribus plene *conciliari*; patebit aperte, ni fallor, ex ipsis Decretis præsertim 1° *hypothetice*, ut diximus, spectato.

Ad quod conficiendum, aliqua maximi ponderis certissima facta, principia, auctoritates, argumenta (quæ alibi fusius exponuntur), huc perquam breviter et necessario sunt advocanda. 1° Ex dictis certissimum est, Scholam hucusque *iure corporationis* fuisse gavisam, eodemque non posse (sine iniuria ac vitæ civilis discrimine) ab Universitate Lav. privari, per ingressum in Succursalem. Eo vel magis quod, Succursali aliquando e Marianopoli vel abeunte vel abire coacta (v. gr. a protestantibus), Schola *hoc ipso*, (vita et nomine sibi propriis amissis) perire cogeretur. Hoc autem quis iustum dicat? 2° In Succursalis erectione, Aplicam Sedem nulli voluisse iniuriam irrogare, *certissimum est* a priori; ex ipsius Decreti spiritu et verbis; ex 1 Legati dictis actisque; ex ipsa denique sacra doctrina aiente "melius nulli dabis, quam alium spoliabis". 3° Æque *certissimum est*, Univ. Rectorem anno 1872 (nn. 45, 47) convenisse Prov. Episcopos in Consilium adunatos, eosque rogasse, ut ab Aplica Sede. tum canonicam Universitatis erectionem, tum ea fere omnia, quæ in *hoc Decreto de Succursali* continentur, humiliter peterent. Omnes, uno forte excepto, *positive renuerunt*, pluribusque de causis, quæ brevi revocari possunt ad *iura* Urbis Marianopolitanæ eiusque Facultatum

de tota Provincia optime ac diu meritarum, ad ipsos denique Prov. Episcopos. 4° Hinc quoque *certissimum est*, tum Episcopos Universitatis petitiones Romæ latas tunc temporis ignorasse, uno forte excepto; tum S. R. Congregationem hæc iura et Episcoporum repulsam rationesque nescivisse. Seu aliis verbis, hinc patet *subreptio* in obtinendo Decreto, imo vero et *obreptio*. Nam, in eo *affirmatur* facultatis *iuris affiliatio* Univ. protestanti; *supponitur* autem proculdubio Regia facultas (la Charte, cui in nullo PIUS IX. s. m. derogari iubebat: v. Bullam.) erigendi Marianopoli Succursalem. Quæ duo, etiam dubio procul, veritate carent, licet ratione non careant, quæ subreptionem et obreptionem explicet. 5° Hinc *aptissime* huc advocanda verba *Benedicti* XIV. " In horum (rescriptorum) concessione nihil facilius est, " quam ut aliquando Pontifices decipiantur, vel *falsa* rerum " enarratione, vel *occultatione* alicuius veritatis, quam si notam " habuissent, nunquam ea concessissent aut mandassent quæ ali- " cuius vitii arguuntur. Verum in hisce casibus quidquid ab " Eis per *subreptionem aut obreptionem* impetratum est, Ipsi haud " inviti *abrogant*... (*) ". 6° Hinc demum pronum est inferre, Aplicam Sedem sin minus *abrogare posse* (nedum absque Sui vel ullius iniuria, imo vero magno cum Suimet supremæ auctoritatis iustitiæque decore) *quidquid iura* per subreptionem obreptionemque *vulneraverat*, sive spectantia Succursali præexistentes Marianopolitanas Facultates, sive Urbem ipsam eiusque forte aliquando extituram Universitatem; quam Cavallensis ipsa sæpe sæpius ab initio promiserat quidem *verbis*, *re* autem effecit in dies, ut eiusdem fundamenta (iamdiu, per iuris et medecinæ Facultates, Marianopoli præiacta) penitus evellerentur.

83. His itaque præ oculis habitis, siquidem Schola, e Succursali per iniuriam eiecta, in eandem iterum est ingressura, iuxta Decreta; nihil aliud humillime ab Apostolica Sede per Exc. Commissarium postulat, nisi ut *ius* (quo pollet eget-

(*) De Syn. diœc. L. 9. C. 8. No. 2. V. loc. ubi duo Decretalia citantur.

que) *Corporationis* servet, simulque *media* ad illud omnino necessaria. Hæc autem *quatuor* numerantur præcipua, sed rei gravitatis ac compendii gratia, unum præ ceteris liceat commemorare, cuius neglectus Lavallensi unice *subreptioni* debetur, quæ sub Decreti primi *basi* seu articulo 7° latet, hæc aiente: " *I Professori di Montréal saranno nominati come quelli di Laval dal Consiglio Universitario, sarà però prima consultata la sezione di Montréal* ". Iamvero, hæc sane ius ipsum *Corporationis* afficiunt ac Scholæ *vitam*; tum quia Professores suos (ex fundamentali lege a civili potestate sancita) cooptare debet *iuxta examen scripto traditum*; tum vel maxime quia, si Professorum electio *arbitrio* tantum Lavallensis Senatus relinqueretur, Scholæ *corpus* brevi ac dubio procul evanesceret. Præsertim si, aut *ius* accedat Professores *ad nutum* revocandi (*), aut ius idem ita Universitatis Rectori commitatur, ut ei integrum sit Decanos aliosque legitime electos, pro lubitu revocare, immutare, dimittere, contra suffragii iura et ipsas Universitatis leges [**J**]. Ut ergo iura serventur, articulus idem in hæc fere verba, si liceat, apte enunciari posset: " *I Professori di Montréal saranno nominati ufficialmente dal Consiglio Universitario, come quelli di Laval; sarà però prima fatto il concorso per iscritto da candidati cattolici, approvati anteriormente dal Vescovo di Montréal, quanto a fede e moralità, e l'esame giudicato solo dalle rispettive Facoltà della Succursale* ".

Ita plane, ni fallor, omnium vera iura servantur; nedum absque ullo S. Sedis dedecore, sed novo sapientiæ suæ testimonio, haud parva cum litigantium studiorumque utilitate, magno denique populi Canadensis gaudio, gratiarum actione et plausu, optatam diu portendentibus pacem.

84. Perpauca ad articulum et hæc evolvenda sufficient.

(*) " Mais n'oubliez pas, non plus, un autre document... où il est dit que les " Professeurs à Montréal seront... révocables *ad nutum*..."
Archiep. ad Sch. Doctores. **M. C.** Vol. 7. No. 12. pg. 76 et alibi passim. Cfr. etiam [**D**].

Dicitur 1 *nominati ufficialmente*, quo iuris dignitatisque ratio, ut par est, habeatur Universitatis, non secus ac Principis, aut cuiusvis Reipublicæ, Provinciæ, Collegii Rectoris, *per concursum* munia, gradus, præmia conferentium sollemniter, secundum leges iustitiæ commutativæ. 2° *concorso per iscritto* — a) ex rationibus modo datis — b) ex ipsa canonica Universitatum rite ordinatarum lege (*) — c) æquum non videtur, quemvis posse ex *subreptione* utilitatem percipere, et alterius iura lædere — d) hæc articuli mutatio (seu in melius *additio*) nec iuribus Universitatis contradicit, nec Quebecensium Professorum legibus, qui non eadem habent ac nostri sive iura sive onera — e) est insuper longe *utilior* utrique parti ac *studiorum* incremento, quam *electio arbitrio* relicta, *talisque* Senatus, a Schola nostraque Urbe animo alieni, ut minus dicam — f) est demum ad Scholæ civilem *vitam* omnino necessaria. 3° Eadem fere argumenta recurrunt pro *examinis modo* illis articuli verbis expresso : *e l'esame giudicato etc.*

85. *Candidati cattolici... fede e moralità*—a) quia ius illud est, et esse debet, Episcopi cuiusvis in sua Diœcesi — b) eoque magis, quod illud ab eo usque tempore Schola admisit servavitque, quo vix nata, semet perquam libenter in Episcopi, veluti in parentis sinum, recepit, crevit adolevitque, omnium iudicio, cum non levi suimet ipsius, iuventutis, Religionisque incremento — c) eoque adhuc libentius, quod Aplica Auctoritas huc advecta pacemque nobis latura, paterne, ut solet, postulavit quidnam Ei *securitatis* pro futuro etiam Schola exibeat? huic datura vicissim securitatem ab omni in posterum iniuria perennem. Num ipsamet Lav. Universitas hæc unquam exhibuit, vel servat in præsens securitatis pignora? Sinat ergo saltem hæc haberi in Marianopolitanæ Succursalis Facultatibus — d) Dicemus ne indecorum vel Aplica Sede indignum, si quid indecore obtentum Ipsamet corrigat, perficiat, iuste abroget, si quid novi, omni iure et æquitate innixum, sufficiat; idque perutile, neces-

(*). V. Maupied, De Univ. regimine et constitutione, V.

sarium? — e)præsertim quum non modo Decretum eiusque præcipua maneant firmissima, sed et articulus ipse de quo quæstio; cuius stat 1ª pars, altera vero (privilegium continens " *sa-* " *rà però* &c. ") *iure* innixa, perficitur?—f) Quid igitur prohibet quominus id ab ipso *S. Sedis Legato* perficiatur, cui S. P. LEO XIII. directe et plenam tribuit potestatem in hæc verba: " probatissimum virum... destinemus, qui earundem difficultatum rationem præsens accurate cognoscat, easque dissolvat ac dirimat, remque omnem componat..? " [**O**] (*)—d) An *facultatem*, quam Decretum tribuit Episcopis " *in unione con Laval* " quoad executionem...; nec non Episcoporum *ius* proponendi, consulendi etc., et Universitatis *debitum* consilia excipiendi; imo et eiusdem *ius* mutandi, perficiendi etc. in iis quæ *fundamentalia non sunt*, si quando id necessitas exigat (" *diritto di* " *proporre mutazioni e miglioramenti... ove si riconoscesse la stretta* " *necessità di fare qualche cambiamento... v. Decr. et base n.* 3.) [**A**]: an, inquam, *facultates* istas omnes et *iura*, alteri S. Sedis Legato denegabimus, qui ampliori quam prior potestate est præditus?

86. Huic rerum compositioni Lav. Universitas *acquiescere* sane posset; imo deberet, si S. Sedes Eiusve Legatus eam approbet aut iubeat. Verum de Lav. Universitatis animo, præteritorum iugi experientia docente, valde dubitandum verendumque ne secus accidat. Non enim aliam hactenus rei solutionem aut intendit, aut est prosequuta (etiam *extra* et *contra* Decreta) quam *Facultatum* nostrarum, iuris scilicet et medicæ Scholæ, *mortem*. An hæc sint Apostolicorum *Decretorum* spiritui et litteræ morem gerere, ac *obedientiæ* exemplum iis debitæ Canadensi populo (qui infeliciter omnia novit) exhibere; ipsa Universitas, quique in eam ius habent, videant.

87. Quod vero ad Scholam spectat, si forte Universitas Lavallensis æquam hanc cum illa compositionem reiicere perse-

(*) Brev. ad Exc. Comm., 11 Sept. 1883. M. C. Vol. 8. No. 2.

veret, Aplica Sede vel Eius Legato tolerante aut consentiente; nulla oppido apparet ratio, cur iniustus vitæ aggressor innocentem, pacifice diuque suo iure fruentem, *perimendi ius habeat.* Idque eo minus quod, Deo ita providente, Scholæ (ab ipso S. Matris Eccl. sinu eiectæ) querelæ Romam demum pervenere; adestque Missus, qui pacifice Romæ *cepta* similiter *prosequitur*, paterne cum Schola agit, fidentem, quietam, nutibusque ipsis obedientem in dies experitur; plenaque præditus *potestate*, cum Schola eadem Ipse res demum componere valet, si Lav. Universitas id secum nulla æqua ratione velit. Quod si, huius culpa, evenire contingat, facilior nihilominus tutiorque proculdubio tunc patebit *altera æquæ solutionis via*; quemadmodum ex authenticis documentis, Exmo S. Sedis Commissario a Schola iam exhibitis, luce clarius apparet (*). Faxit Deus, ut novum hoc *catholicæ Scholæ* pignus ad eiusdem spiritum melius dignoscendum simul firmandumque conferant, necnon ad animorum tranquillitatem pacemque Regioni diu exagitatæ, pro omnium votis, revocandas. Cuius certe spei Canadensis Ecclesiæ filii vadem habent Apostolicæ Sedis Eiusque Legati iustitiam, summa cum bonitate, mansuetudine, sapientia coniunctam: quæ dum nobiscum versantur, non modo Scholæ Doctorum sed omnium vere catholicorum animos erigunt ac recreant, eiusque imprimis, qui pro tenuis ingenii viribus, veritatis pacisque amore, pauca hæc, nec iniussus, exaravit

AD MAIOREM DEI O. M. GLORIAM
AC SEDIS APOSTOLICÆ HONOREM.

(*) V. Causæ *actionem* in capita distributam ac scripto traditam Exmo S. Sedis Commissario a Scholæ deputatis; præsertim quæ spectant ad Catholicæ Scholæ pignora (*garanties*) ab iisdem oblata.

DOCUMENTA.

A

DECRETUM 1. FEB. 1876.

Illmo e Rmo Signore,

Nella Congregazione Generale del giorno 1 Febbraio testè decorso si prese nuovamente ad esame l'istanza del Vescovo di Montréal per la erezione di una Università nella sua Diocesi, e gli Emi e Rmi SS. Cardinali risposero quanto appresso vengo a trascrivere alla S. V.

Al I. dubbio se e quale provvedimento convenisse adottare in ordine alla surriferita istanza del Vescovo di Montréal, *ad mentem. Mens est*, che si scriva all'Arcivescovo di Québec una lettera da comunicarsi a tutti i suoi Suffraganei, nella quale gli si dica che, essendosi preso nuovamente ad esame il progetto di fondare una Università a Montréal, se ne è riconosciuta l'impossibilità, specialmente per la ragione che tale fondazione comprometterebbe l'esistenza dell' Università Laval, la quale pei servigi resi alla Chiesa ed alla Società, ed anche pei sacrifizi pecuniarli, che ha fatti, deve essere sostenuta e conservata. *Che* però dovendo questa Università servire in particolar modo per tutte le Diocesi della Provincia Quebecense, si è ravvisato giusto che i suoi Suffraganei vi abbiano un ingerenza, la quale sia nel tempo stesso una garanzia per essi, ed un vantaggio per l'Università medesima. *Che* tale scopo si potrà ottenere lasciando intatte le disposizioni fondamentali di Laval, la sua amministrazione finanziaria e tutto ciò che riguarda le relazioni fra la detta Università ed il Seminario Arcivescovile, col concedere ai Vescovi, sotto la presidenza dell' Arcivescovo, l'alta sorveglianza sopra quanto concerne la disciplina e la dottrina, sì relativamente ai Professori sia in ordine ai giovani studenti. *Che* perciò dovrà il Rettore dell' Università in una annuale riunione dei Vescovi far conoscere esattamente lo stato della medesima sotto i due mentovati rapporti, ed i Vescovi avranno il diritto di fare le loro

osservazioni, e di proporre le mutazioni ed i miglioramenti che giudicheranno opportuni, salvo come sopra le disposizioni fondamentali dell' Università. *Che* in generale sarà sempre libero, anzi dovere pei Vescovi l'esercitare quest'alta sorveglianza, richiamando l'attenzione dell' Arcivescovo e del Rettore dell' Università sopra tutto ciò che crederanno di consigliare, escluso sempre di ricorrere al mezzo della publica stampa, la quale d'ordinario, come l'ha provato nel caso una trista esperienza, più che a remediare al male serve per inasprire gli animi e le questioni, e riesce di pregiudizio all' onore dell' Università, e sovente anche della causa cattolica. *Che* si riconosce la necessità di provvedere in qualche modo all'istruzione superiore di quei giovani di Montréal che non possono frequentare l'Università Laval, nonché d'impedire che le scuole di diritto e medicina esistenti in detta Città continuino ad essere affigliate ad Università protestanti, e molto più che gli studenti cattolici frequentino tali Università. *Che* per altro essendo evidente l'impossibilità per parte di Laval di concedere l'affigliazione alle dette scuole, la quale equivarrebbe alla erezione di una Università quasi distinta ed indipendente a Montréal, così per provvedere alla suenunciata necessità, non si presenta altro spediente che quello di stabilire in Montréal una Succursale dell'Università Laval, all'esecuzione del quale progetto dovranno provvedere i Vescovi in unione con Laval sulle seguenti basi:

1° Che tutte le spese occorrenti per la Succursale dovranno essere a carico della Diocesi di Montréal.

2° I corsi saranno uniformi a Laval ed a Montréal, tanto per la durata quanto per la distribuzione delle materie in ciascuna facoltà ed in ciascun anno; ed ove si riconoscesse la stretta necessità di fare qualche cambiamento, ciò si faccia senza pregiudizio nè al merito di Laval, nè alla istruzione dei giovani, col facilitare e rendere più sollecito il conseguimento della laurea dottorale.

3° Che i Professori di Diritto e di Medicina a Montréal faranno parte della rispettiva facoltà stabilita a Laval in forza della Carta reale.

4° Che dovendo il Consiglio universitario a tenore della stessa Carta esser composto dei Direttori del Seminario di Québec e dei tre più antichi Professori di ciascuna facoltà per ordine di nomina, così dovranno farne parte anche i Professori di Montréal al loro torno.

5° I Professori di ciascuna facoltà in Montréal formeranno come quelli di Laval un Consiglio permanente per tutto ciò che riguarda, non solamente la sezione di Montréal, ma la facoltà in generale.

6° Risiederà a Montréal un Vice-Rettore nominato dal Consiglio Universitario ed approvato dal Vescovo di Montréal, il quale supplirà il Rettore nell' ammettere o nell' espellere gli studenti. Questa sorveglianza è relativa solamente all'osservanza dei regolamenti universitarii, giacchè quanto alla condotta morale e religiosa provvederà interamente il Vescovo di Montréal.

7° I Professori di Montréal saranno nominati come quelli di Laval dal Con-

siglio universitario, sarà però prima consultata la sezione di Montréal.

8° L'emolumento pei singoli Professori sarà a Montréal eguale a quello di Laval.

9° Così sarà a Montréal come a Laval la tassa che gli studenti devono pagare pei corsi.

10° I diplomi saranno dati da Laval, ed a questa Università saranno pagati i relativi diritti.

In fine dovrà nella lettera raccomandarsi a tutti i Vescovi di fare che i loro Seminarii e Collegii si affiglino all' Università Laval, poichè in tal modo gli studii saranno meglio coordinati, ed i giovani saranno preparati pei corsi universitarii.

All' altro dubbio poi se e quale ulteriore provvidenza abbia luogo relativamente ai professori acattolici dell' Università Laval, gli Emi et Rmi SS. Cardinali risposero: " Attentis noviter deductis, dilata, et si opus fuerit suo loco et tempore providebitur. "

Tale risoluzione fu portata, nel giorno 13 Febbraio nell' udienza del S. Padre, il quale si degnò approvarla in tutte le sue parti.

Intanto prego il Signore che la conservi lungamente e la prosperi.

Roma, dalla Propaganda li 9 Marzo 1876.

Di V. S.

Affettuosissimo per servirla,

ALESS. CARD. FRANCHI, Pr.

G. B. Agnozzi, Pro-Segret.

Illmo e Rmo Signore

Monsig. Arcivescovo di Québec.

[M. C. Vol. 5. No. 20. pg. 24.]

B

II. DECRETUM. 13 SEPT. 1881.

Illmo e Rmo Signore,

Il S. Padre avendo preso ad esame la questione di nuovo insorta tra l'Università Laval e la Succursale stabilita in Montréal, nell' Udienza straordinaria di ieri tenuta per trattare unicamente di questo affare, ha ordinato espressamente di significare alla S. V., essere sua decisa volontà che debba starsi al Decreto di questa S. Congregazione emanato nel giorno 1° Febbraio 1876, e che si prosegua a dargli esecuzione.

Resta quindi Ella incaricata di comunicare questa Pontificia disposizione a tutti i suoi Suffraganei.

Sua Santità nutre fiducia che cotesto Clero e popolo cattolico, di cui ha ricevuto sempre luminosissime pruove di divozione e di attaccamento alla S. Sede, si uniformerà alle anzidette sue disposizioni, e che i rispettivi Prelati non lasceranno di ricondurre negli animi la concordia e la pace.

E qui prego il Signore che lungamente la conservi e la prosperi.

Roma dalla Propaganda, 13 Settembre 1881.

Di V. S. affmo,

GIOVANNI CARD. SIMEONI,
Prefetto.
I. MASOTTI,
Segret.

Mgr. Arcivescovo di Quebéc.

M.C. Vol. 6. No. 11. pg. 7.

C

III. DECRETUM. 27 FEB. 1883.

Cum Universitas Lavallensis eiusque Succursalis in civitate Marianopolitana Apostolica auctoritate constituta ob exorta dissidia simultatesque adversus ipsam paratas, non sine gravissimo sui detrimento, iamdudum vel maximis prematur difficultatibus, Sanctissimus Dominus Noster LEO Divina Providentia Papa XIII, ad omnium dissensionum radicem penitus evellendam atque pacem et concordiam reducendam, in audientia diei 18 Februarii 1883 iterum examinatis ac perpensis omnibus rationum momentis hac in re hactenus exhibitis, auctoritate sua decrevit, ut in iis quæ ad prædictam Universitatem Lavallensem eiusque Succursalem Marianopoli constitutam referuntur, fideles omnes servent adamussim prescriptiones quæ tum in Resolutione seu Decreto a Sacra Congregatione de Propaganda Fide lato die 1 Februarii 1876, tum in Constitutione apostolica erectionis canonicæ præfatæ Universitatis continentur, quæque alias ab eodem Summo Pontifice commendatæ et confirmatæ fuerunt.

Insuper Sanctitas Sua in eadem audientia districte mandavit in virtute sanctæ obedientiæ omnibus fidelibus nec non ecclesiasticis viris cuiuscumque gradus et dignitatis in regione Canadensi, ne vel actu, vel scriptis, præsertim in lucem editis, sive per se sive per alios, contra eamdem Universitatem eiusque Succursalem in posterum audeant aliquid moliri, aut quavis ratione eam impugnare, sed

potius ut, nullum impedimentum executioni memorati Decreti ac Apostolicæ Constitutionis obiicientes, omnes communi studio eidem Institutioni provehendæ opem præsidiumque pro viribus afferre adnitantur.

Præsens autem Decretum idem Sanctissimus D. N. ab omnibus Provinciæ Quebecensis Episcopis in propriis Diœcesibus publicari iussit, veluti absolutum Sanctæ Sedis mandatum ad memoratas quæstiones dirimendas.

Datum Romæ ex Æd. S. Congr. de Prop. Fide die 27 Februarii 1883.

L. † S.

JOANNES CARD. SIMEONI,
Præfectus.

† D. Archiep. TYR.,
Secret.

[M. C. Vol. 7. No. 17. pg. 82.]

D

L'UNIVERSITÉ LAVAL, À MONTRÉAL — FACULTÉ DE MÉDECINE.

Conditions agréées d'un commun accord par le Conseil universitaire et l'Ecole de Médecine et de Chirurgie de Montréal, Faculté de l'Université Victoria.

1° L'administration financière, pour tout ce qui *appartiendra* à *l'Université* Laval, à Montréal, sera entièrement Ecclésiastique. Cette administration sera entre les mains de la Corporation Episcopale de Montréal, laquelle agira *comme propriétaire*, mais sans pouvoir appliquer à d'autres fins les fonds mis à sa disposition pour l'Université à Montréal.

